

Lit. Lat.

rec. A.

1146

610 P

Poetic.
a) Poete Latin: recenatio: 1299.

110. Poet. Rec.

D. G. MORHOFI
VENERES.



Perillustri & Excellentissimo Domino,

DOMINO

JOHANNI ADOLPHO

KIELMANNO à KIEL-

MANSECK

**Domino in Satrupholm & Obdorff,
Collegii Canonici, quod Hamburgi est,
Præposito, Præfecto in Reinbeck, Trittou,
Moorkirch & Dolrad. Sereniss. Sleswic. & Hol-
sat. Ducis Consiliario Intimo, Regiminis
Præfidi, & Aulæ Cancellario &c.**

Domino & Mæcenati suo Maximo

pro Strena Veneres

D. D. D.

I.

Musarum communis Amor, Lux, Gloria
Cimbrum

Quæ Tibi nunc isto tempore dona feram?

Tu Musis nobisque tuos largiris amores:

Ut redamet, noster reddit Amor *Veneres.*

II.

Quas nobis *Præses* genuisti *Maxime* Musas,
Hæ *Veneres* iterum nunc genuere novas.

Creditur orta mari Venus: ast Heliconiæ in undis
Castaliis *Veneres* has genuere suas.

Ergò uti Te Musæ celebrant, *Kielmanne*, Parente,
Hæ *Magnum* neptes Te venerentur *Avum.*

Excellentissimis & Generosissimis

DOMINIS

DN. JOHANNI HENRICO

KIELMANNO à KIELMANSECK,

Domino in Satrupholm &c. Sereniss.

Schlesw. & Holsat. Ducis Consiliario Provinciali

& Præfecto Diœceseos Gottorpiensis Dignissimo,

Præposito Cœnobii Divi Johannis, quod est

Schleswigæ & Canonico Capituli

Sleswicensis &c.

DN. FRIDERICO CHRISTIA-

NO KIELMANNO à KIELMANSECK,

Domino in Satrupholm &c. Sereniss.

Schlesw. & Holsat. Ducis intimo & Camerae

Consiliario primario, & Canonico

Capituli Lubecensis &c.

DN. JOHANNI ADOLPHO

KIELMANNO à KIELMANSECK,

Domino in Satrupholm &c. Sereniss.

Schlesw. & Holsat. Ducis ArchiCamerario &c.

Magni Parentis Magnis Filiis

Dominis & Patronis suis

summè colendis

eisdem Veneres

D. D. D.

Quos **PATRI**, Vobis etiam debemus Amores,
KIELMANNI, Magni Nomina Magna
PATRIS.

Quæ divina Venus felici foedere junxit,
Nunc Veneres jungant nomina tanta meæ,
Ut quas non mereor, Veneres mereantur amores,
Quos sibi concilient concilientque mihi.
Forfan & hæc animos Venerum vis insita vestros
Fascinat, incomptæ sint licet atque rudes.
Invita Veneres natas obtrudo Minervâ,
Deformi genitas à Patre filiolas,
Has sisto nudas & vestra veste tegendas,
Queis decus & genium gratia vestra dabit.
Quas genui, non tollo Parens, aut educo natas,
Ni vestri præsens aura favoris alat.
Trado meas Veneres, queis vos venerabor At-
lantes,
Hisce meis vestras foeneret ut Veneres.

D. G. MOR-

D. G. MORHOFII
VENERES.

VENUS PISCATRIX.

Amoribus.

Viri Nobilissimi, & Amplissimi:

DN. DANIELIS. FIS-
SCHERI.

Serenissimo Principi Brunsvicensi &
Luneburgensi a Consiliis
&

Nobilissimæ Elegantissimæque Virginis

ELISABETÆ. SO-
PHIÆ. BOKELIÆ.
dicata.



VENERI. PISCATRICI.

MARINÆ. APHROGENIÆ. SAGACISSIMÆ.
CVI. VOTIVAM. TABVLAM. SVSPENDVNT:
AMORIS, RETIBVS. IRRETITI. DVO.

DANIEL. FISCHERUS,
ET.

A

ELI.

ELISABETA. SOPHIA.
BOKELIA.

PAR. NOBILISSIMUM.

INESCAVIT. CVPIDO.

IRRETIVIT. RETI. AN. VULCANIO.

AN. AVREO. NERONIANO.

E. SAGITTARIO. FACTVS. RETIARIVS.

MIRVS PISCATOR. CVPIDO. EST.

PISCATVR. IN. AERE. VENATVR. RETI.

IACVLO. IN. MEDIO. MARI.

IRRETITVS. FST. IPSE. PISCATOR.

DVM. E. NASSA. VENERIS ESCAM. PETIT.

CONSTRICTVS. EST. IN. PVTEO.

NON TAMEN. ARGENTEO.

NEQVE. ENIM. VNQVAM. FVIT. INTER. CALI-

CVM. REMIGES, AVT. QVI. ORBEM. CIRCVMNA-

VIGANT. QVEMADMODVM. HERCVLES. IN.

POCVLO.

NEC. INTER. ILLOS.

QVI. IN. OTIORVM. MARI. MORTVO. NEQVE.

CVRRVNT. NEQVE. REMIGANT.

NEC. INTER. VENEREOS. NEPOTVLOS.

QVI. AVT. PISCEM. OLENT. AVT. FLOREM.

PISCATOR. QVAMVIS. SIT.

NON. TAMEN. IN. NAVIBVS. EDVCATVM. DICAS;

SAGACISSIMVS. QVIPPE. ET. SOLERTISSIMVS.

REMIS. VELISQVE. LITERARVM. ET. VIRTVTVM.

OCEANVM. DECVRRI. NON. MYSORVM.

VLTIMVS.

NATAVIT. SINE. CORTICE. NAVIGAVIT. SINE.

CONTO. SÆPE.

MEDIUM. SEMPER. TENUIT.

ET

ET. QVOD. CALYPSVS. AD. VLYSSEM. PRÆCE-
PTUM, FVIT.

NAVIGAVIT. EXTRA FVMVM ET VNDAM.
NUNC. IN. TRANQVILLO. ET. PORTV. CONSISTENS.
HALCYONIS. AGIT. DIEB.

DUABUS. FULTUS. ANCHORIS.

HONORIS. ET. AMORIS.

NON. ILLE. A. REMO. AD. TRIBUNAL.
SED. PER. LONGA. EXILIA. PER. VASTA.

ÆQVORA.

INTER.

BREVIA. ET. SYRTES. SCYLLAM. ET. CHARYBDIN
SCOPVLOS. ET. SIRENAS. TVRBINES. ET.
PROCELLAS.

CLAVUM. SEMPER. RECTUM. TENUIT.
IN. QVO. FALLVNTVR. SÆPE. QVI. MOLOR-
CHOS. IACTANT. ET. QVI.

VENTVM. PERENDINVM. PRÆSCIVNT.
HINC. ILLE. AD. CLAVUM. REIPUBLICÆ.
SOLET. ET. HEIC. EXERCERI. PISCATORIA.
SED. QVÆ. MONSTRIS. MARINIS. TANTVM.
INSIDIATVR.

APAGE. ILLOS.

QVI. PISCANTVR. IN. TVRBIDO. MARI.
QVI. ALBO. RETI. ALIENA. CAPTANT. BONA.
QVI. DELPHINVM. CAVDA. LIGANT.
QVI. ANGVILLAS. CAPTANT.

ILLI. SVNT. QVI. POLYPI. MENTEM. OBTINENT.
QVI. PRO. LOCO. ET. TEMPORE. COLORES.
INDVVNT.

QVI. QVICQVID. ITETIGERVNT. TENENT.

A 2

TIBI

TIBI. VERO.
SPONSE.

TOLLENDAM. NVNC EST. ALTERA. AMORIS;
ANCHORA.
AD. ALIUD. GENVS. REMI. VOCARIS.
POTES. ET. HEIC.
NAVIGARE. PISCARI.
ET. TU

ELISABETA. SOPHIA.

QVÆ. NVNC. CVM. ILLO. IN. EADEM. ES. NAVI.
QVIQVE. AMBO. PARITER. REMOS. DVCITIS.
MARE. VOBIS. LIBERVM. SIT. NON. CLAVSVM.
FORTVNA. VOBIS. SIT. PERPETVA. NVNQVAM.
ÆSTVARIA.

NULLA. VOS. SISTAT. REMORA.
TRANQVILLVS. VOBIS. ÆTHER. SIT. VENTVS.
SECVNDVS.

NUNQVAM. NIIDUM. REMIGIO. LATVS.
NOCTV. NAVIGANT. NAVTÆ.
HEIC. SPONSI. OCELLI. HELICE. ERVNT. ET.
CYNOSVRA.

HUC. SE. VERTUNT. RADII. MAGNETICI.
SED. RECTI. ET. SINE. VLLA. CHALYBOCLISI.
NOCTU. PISCANTVR. PISCATOIRES
QVARE. ET. HEIC. REM. VESTRAM. AGITE.
SEU. HAMO. SEU. RETI.

NE. OPERAM. PER DATIS. ET. RETIA.
VOTA. FERTE. NVNC. SED. PISCATORIA.
ET. VTINAM. FORS. VOTVM. ADIUVET!
IACTVS

IACTUS. VESTER. EST O. MILESIUS.
TRIPUS. ILLE. AUREUS.
CUM. LEMMATE.

DETUR.

NON. SAPIENTISSIMÆ.
SED. IPSI.

SOPHIÆ.

NUNQVAM. VOBIS.

VACUÆ. FLVITENT. SINE. PONDERE. NASSÆ.
VOBIS. DORMIENTIBVS. RETE. TRAHAT.
TANDEM. DENIQUE.

VOBIS. GEMELLI. ALIQVI. GEMINI. APPAREANT
NON. TAMEN. ILLI. DIOSCURI.
ET. QVOD. POSTREMVM. ET. POTISSIMVM. EST
OMNIVM.

FATA. QVÆ. OMNIA. SOLVUNT.
SACRAM. ILLAM. ANCHORAM. PLACIDE.
AT. SERO. SOLVANT.

*VOTA. HÆC. SANCIT. VENVS. PISCATRIX.
EXPISCABATVR. AVTEM ILLA. SACRA.
ET. PRODEBAT. QVANTVM. LICEBAT.*

D. G. M.

VOTIS. QVOQVE. IPSIS. SVBSCRIPSIT.
ET. NVNC. PEDIBVS. IN EORVM. IBIT. SEN-
TENTIAM.

A 3

PISCA-

I.
PISCATOR CAPTUS.

DUM sedet, atque sui circumspicit otia Regni,
 Præsentique fovet Numine Diva Venus,
 Per mare non tardis Puer Armiger advolat alis,
 Et querulâ matris voce poposcit opem.
 Dum queritur, pharetras pedibus conculcat & arcus.
 Et se vix ipsam mens furiosa capit.
 Imbelles arment, ait, arma imbellia dextras,
 Nolumus his nostras dedecorare manus.
 Quid juvat his Phoebum magnumque domare Tonantē:
 Aut quid Gradivum stringere laudis habet?
 Nunc unus Juvenis nostras impune sagittas
 Ridet, nec nostris ignibus ille calet.
 Exhausti totas in saxea corda pharetras,
 Et frustra labor hic, frustra opus omne fuit.
 An quædam certos sacra vis effascinat arcus?
 Aut illi triplici pectus in ære sedet?
 Struximus insidias & fraudes, non tamen ullâ
 Piscator potuit callidus arte capi,
 Musarum quia sacra colit, nunc Numina nostra,
 Qui flamma dignus splendidior, fugit.
 Namque illustre niter genii jubar altaque Virtus,
 Et multum grato fulget in ore decus.
 Commendant dulci saturati nectare mores,
 Luminaque & tædis plus valitura meis.
 Nunc mores hominum varios perlustrat & urbes,
 Et genii sequitur semina pulchra sui.
 Dixerat: At vafras volvit Venus impigra fraudes.
 Consiliis, ait, heic utere, Nate, meis.
 Res aliâ tentanda via est, quod aperta negarunt
 Arma, leves toties id potuere doli.

Pisca-

7

Piscator capiendus erit. Cape retia, Fili,
Quæ tenui duxit Conjugis ære manus.
Quæis quondam nostros celer irretivit amores.
Ac illâ poterat quilibet arte capi.
Tortus de dextra semper Tibi pendeat hamus,
Æraque divorum celet adunca cibus,
His involve dolis nil quidquam tale putantem;
At medio cœcos aère fige pedes
Nec mora jam medio libratus in aere pendet,
Utque habitus deceat se novus iste, rogat.
Ut Mater laudavit, abit, calamosque sequentes
Antevolans lenté post sua terga trahit,
Quâ volat, in varios se tellus subdita flores
Induit, & quivis obvius ales amat.
Ergo pererratis terrarum ambagibus unum
Unum, quem caperet, quærit; At ille fugit,
Ille fugit, vanosque Cupidinis excutit astus:
Et frustra dolus hic, frustra opus omne fuit:
Nuper at errantem patriis offendit in agris,
Ac improvisis cassibus ora premit.
Vicimus! exclamat. plaudunt alæque manusque
Victorem sequitur jam nova præda suum.
Ter contra graciles, fallentes lumina, nodos
Armavit strictas in sua damna manus.
Utque leves tractus momentaque parva sequuntur
Retia, sic vinclis stringitur usque suis.
Sic ubi se laqueis connexuit aucupis ales,
Plangitur, & motu se ligat ipse suo.
Hanc Tibi servat Amor, *Virgo lectissima*, prædam
Hâc prædâ prædam Te Capit ipse novam.
Iam captum se gaudet, & inter Virginis ulnas
Perpetuo velit hæc carcere vincla pati.
O vos ô stringant concordi Retia vinclis,
Æternusque animos semper inescet amor!

II. PISCA-

PISCATOR ICTUS.

Viderat Ales Amor peregrini à gentibus orbis
FISCHERUM ad Patrios jam remeasse lares.
Ergo, ait, ille meos solus non sentiat arcus
 Nec vires possunt hunc superare meæ?
Hunc vario rerum, **SAPIENTEM** dicimus usu.
 At nostræ **SAPIENS** non erit ille Scholæ.
Ut nobis **SAPIAT**, **SOPHIÆ** infundemus amores.
 Dixerat, & telo pectus utrumque ferit.
Ille cupidinea trajectus corda sagittâ
 Nunc in **AMORE** **SAPIT**. Tu quoq; **SPONSA**, **SAPIS**.
Ille quidem per Te **SAPIET** nunc; Tuque per illum.
 Non **HIC**, nec **SOPHIE** Tu **SAPIS** ipsa Tibi.
Discitis heic, **SPONSI**, & quod nescit uterque docetis,
 Dici & uterque potest doctus, uterque rudis.
Sed **SAPITIS** tamen. **HIC** **SAPUIT** **PISCATOR**; at
ICTUS.
Nunc quoque **PISCATRIX**, sed prius **ICTA** **SAPIT**.

VENUS OLEARIA
AD
Virum Nobilissimum & Amplissimum
DN. ADAMUM OLE-
ARIUM.
Serenissimi Holfatiæ Ducis Bibliotheca-
rium & Mathematicum celeberrimum.
Cum
VIRO

Viro Nobilissimo & Consultissimo
DN. BURCHARDO NIDER-
STÄTTIO

J. U. L. & Serenissimo Holsatiæ Duci
Secretis

Filiam unicam
Virginem Elegantissimam &
Leëtissimam,

MARIAM ELISABETAM

in matrimonium daret.



VENERI. OLEARIÆ.

NON. AΦΡΟΓΕΝΕΙ. SED. ΕΛΑΙΟΓΕΝΕΙ.

PLACIDISSIMÆ. SOSPITÆ. ΑΛΕΞΙΚΑΚΩΙ.

CVIVS. NECTARIS. PARTE. QVINTA. DELIBVTI.

AMORUM. FLAMMIS. ARDENT.

BURCHARDUS. NIDER-

STÄTTIUS.

ET.

MARIA. ELISABETA. OLE-

ARIA.

PAR. PLACIDISSIMVM. ET. PRVDENTISSIMVM.

QVOD. ET. OLEVVM. SVB. PECTORE. SERVAT. ET.

ACETVM.

OLEO. INCENDIVM. RESTINGVERE. TENTANT.

CYPIDINES.

ALIQVI.

ALIQUI XTTON. AFFVNDVNT.
 OMNES. EX. COMPACTO. REM AGVNT. UT. IN.
 VELABRO. OLEARII.

FXULANT. HIC. MYRTI.
 OLEAGINIS. COROLLIS. APPARENT. OMNES.
 QVAS. IPSI. NECTUNT.
 SPONSO.

PRO. AMORIS. TRIVMPHO.
 SPONSÆ.

PRO. VIRGINITATIS. PRÆMIO.

TU. VERO.
 SPONSE.

QVI. CVM. DEMOSTHENE. PLVS. CONSVMPSI-
 STI. OLEI.

QVAM. VINI.

NEQVE. NVNC. EXTRA. OLEAS. VAGARIS.
 NON. ARBVSTA. IUVANT. ET. HVMILES. MY-
 RICÆ.

NON. FVNESTÆ. TAXI. NON. LAVRVS. INNVBÆ.
 NON. PVGNACES. FRAXINI. AVT. FATALES.
 CVPRESSI.

SED. ILLA.

PVLCHERRIMA. RURIS. IMPERATRIX.
 ARBORUM. OMNIUM. REGINA.

FFLICISSIMA. MITISSIMA. PLACIDISSIMA
 IAM. NON. MINERVÆ. SED. VENERI. SACRA.

O L E A.

QVÆ. NUNQVAM. VERSO. NOMINE. FIET.
 A L O E

LIGNUM,

LIGNUM. PULCHERRIMUM.

DE. QVO. VEL. STRANGVLARI. (AMPLEXIBVS.
SCILICET.) CONVENIT.

ILLA.

IN. FOEDVS AMORIS. RAMOS. TIBI. PORRIGIT.
CUM. VITTA. LANEA.

PACIS. ET. CONCORDIÆ. NUNCIA.

NAM. NEC. MARTIS. FERRVM. PATITVR. NEC.
IOVIS. FVL MEN. HORRET.

FRVCTVS. ILLA DABIT. UBERRIMOS.

SED. RASTRA. HIC. TOLLE. ET. LIGONES.

NAM. ET. HIC. TIBI. PYTHAGORÆ. ILLA. LEX.

POSITA.

OLIVETA. NE. CÆDAS.

QVAMVIS. TUA.

QVOD. CVM. TENTARET. HALIRRHOTIVS. NEPTV-
NI. FILIVS. SECVRIM. QVAM. INTENTABAT. CAPITI.

SVO. IMPEGIT.

I L L A M.

NON. TURBENT. PROCELLÆ.

NON. ADURAT. SIRIUS.

NON. CONSTRINGAT. FRIGUS.

NON. ADMORDEANT. CAPRI.

AT. TIBI.

S P O N S E.

FLORES CARPERE. SI. COMMODVM. EST. HEM.

TEMPVS. EST.

BONA

12
BONA. ERIT. ALIQUANDO. OLIVITAS.
PRÆDICO. VOBIS. VERTATEM. OLEÆ. ANNO.
PROXIMO.

NON. THALES. ALIQUIS. MILESIUS.
NON. ARABS. EAAIOMANTIS,
SED. VATES. HELICONIUS.
DOCUIT. ME. ITA. DIVINARE. CICERO.
FLOREM. OLEÆ. AGRICOLA. CUM.
VIDET. BACCAM. QVOQVE. SE.
VISVRVM. PUTAT.

PROGERMINET. HIC. PYGMALIONIS. OLIVA. AVREA
FRUCTIBVS. E. SMARAGDO. ONVSTA.
NEMO. HIC. OLEVUM. PERDAT. VEL. OPERAM.

THALAMUS.

PALÆSTRA. EST. ET. CAMPVS. MARTIVS.
LVCTANTVR. HIC. NOVI. VENERIS. ATHLETÆ.
GYMNASIARCHE, ADSVNT. CVPIDINES.

QVI. NERVOS. FIRMANT. OLEO.

CAPVT. CORONANT. OLEA.

S P O N S O.

QVOD. VICTOR. EXSTITERIT.

S P O N S Æ.

QUOD. SUCCUBUERIT. PRO. PATRIA
NAM. ET. HIS. OLIM. DABATUR. OLEA.

RENITI, CERTE. MORE. PALMÆ.

NON. DECE T.

SIC

SIC. UTERQUE. MERENTUR. OLEAM.
ILLE. VINCENDO. HÆC. SVCCVMBENDO.

THALAMUS.

SOLIUM. ALIQUOD. REGIUM. EST.
MONARCHIA. HIC. IN. GEMINIS.
CHRISMATE. SUO. INUNGIT. VENUS.
SED. INTER. THALAMI. TENEBRAS.

NAM. ET. HIS. QVOD. FLAMINI. DIALI.

INTERDICTVM. EST.

SUB. DIO. UNGI.

THALAMUS.

STATUARIA. OFFICINA. EST.

VOS. ESTOTE. PHIDIÆ.

QVI.

NON. EX. DEUCALIONE. LAPIDE.
SED. MOLLI. OLEÆ. LIGNO.

INNUMEROS. SIBI. SCVLPANT.

MERCVRIOS. VENERES.

ASCANIOS. JVNONILLAS.

PULCHRA. AMORUM. IDOLA.

VENUS OLEARIA.

PAnde tuas OLEAS, OLEARI, & difflue sacris
Frondeb, eximius Tibi dum de stipite prodit
Surculus, atque novæ gratâ propagine stirpi
Iungitur, Alludant concusso vertice rami,

Atque

Handwritten marginal note.

Atque salutantes collis sibi spontè supinis
Occursent virgæ & gratantia sibila fundant!

Sic gemina irriguo si fors stetit arbor in horto,
Una pasta solo, ramos quarum illa colonos
Accipit, & teneros emancipat ista Quirites;
Hæc quantum perdit, tantum de matre propinquâ
Haurit & in prolem numero majore reponens
Gaudet adoptandis dare pinguia pabula natis:
Impactum illa rapit pulchro sibi vulnere germen,
Et teneram adducto constringens cortice pubem
Largos instillat latices occultaque præbet
Ubera. Tunc vastus se tollit in æthera vertex,
Inde novercales jam lætior explicat ulnas,
Seque agit in conos & opacâ fronde coronat.

Viderat exsertos OLEÆ se pandere ramos
Altius alma Venus, placido quam Cimbrica tellus
Rore alit, illustris quæ cætera nomina sylvæ
Alto operit capite, & foliorum turbinat orbis.
Vidit, & invidit. Cur has, ait, innuba Pallas
Sola sibi frondes tribuat? cur munere tanto
Gaudeat una? nec est, quod opus causetur ab arte
Esse suâ, quodque hæc victi monimenta tridentis
Actæâ quondam sibi nata locârît in arce
Germina. Nos Vestæ gremium laxamus & artus,
Mobilibusque intus secreta læcessimus auris
Semina. Nos faciles animamus numine plantas.
Omnia gignit Amor, molles in marmora succos
Excoquit & tepidos Naturæ ventilat ignes.
Nostro prægnantes implentur semine Venti,
Et nostris flagrant oleis æternaque spirant
Balsama, secretis Hermeti excepta caminis,
Si nobis Natura patet foecundaque virtus
Omnis, cur nostris non paret mitis OLIVA
Imperiis? nostros spernentem Pallada amores

non

9
Non arbor foecunda decet. Minor est mea Myrtus,
Et solo Rosa flore placet. Glans querna Tonanti
Nascitur Alciden imbellis Populus ornat,
Hanc Alni steriles & inertes foetibus Orni,
Et viduae potius Platani, Salicesque palustres,
Quam gravidæ deceant OLEÆ. Si fronde juventam
Seivat perpetuam, nec iniqui sidus Aquari
Horret Oliva, meis sacrandæ est usibus: & me
Nulla senecta premit. Pacis mihi munera curæ,
Et vel sic nostri dicetur Numinis arbor,
Non, Bellona, tui, totum cui milite pectus
Turget & æratam junctâ ægide concutit hastam
Sæva manus. Veneris posthæc ea crescet in hortis,
Vel myrto mutanda meâ. queiscunque vocari
Illa queat titulis, ea nostra vocabitur arbor.
Illa vel invitâ dicam faciamve Minervâ.

Dixerat, & tenerorum exercitus omnis Amorum
Expansis plaudens matrem circumstrepit alis.
Et tunc forte suis sedit Venus alma viretis
Florum fulta toris. Pæstana monilia collo
Dependent tereti, nativo os fulgurat ostrô
Atque genæ vivique emblemate sanguinis ardent.
Hic Ver perpetuum, nullis hic jura procellis,
Non sonuere graves buccâ tibicine venti.
Non cani apparent caperatâ fronte Decembres.
Non hic peccantes poterant effundere flammæ
Sidera, nec lento Zephyros armare veneno.
Implumes tantum ludunt per prata Favoni
Vivida, felices queis interserpere odorum
Deprendas animas, quas pulchri germina ruris
Laxatis pariunt uteris, Hic divite foetu
Stat pretiosa seges totoque accenditur aurô,
Et satura infusa distinguitur iride tellus.
Hic molles casias & odoræ munera nardi

Et thymon & melilothon & Oebaliden Hyacinthum,
 Et mille Heroum mendacia nomina flores
 Dædala Flora ferit, patulis jam lilia picta
 Pandunt argentum labris, tegit aurea sacras
 Ralla rosas spinis hastaque satellite tutas.
 Stant violæ, variisque interlita Tulipa guttis,
 Sanguineas jam pexa strias, fulvaque flagellans
 Purpureum vibice, nigris jam concolor Indis,
 Natioque decus violans jam murice, eburnum,
 Plebs crescit diversa locis herbæque minores.
 In prædam cessuræ apibus, dextræque protervæ.
 Sunt quoque, quæ Venerem possunt stimulare morantem
 Germina. Stant bulbi teretes, & grandior orchis,
 Et flos Euphrasie Samioque invisâ Magistro
 Stat faba, quæque viros solantur eryngia segnes,
 Ac Eruca salax residesque cientia venas
 Gallia, & Asparagi, & germen benè olentis anethi.
 Hinc passim videas spumanti bile tumentes
 Volvi ac obstantes rivos vagire per herbas,
 Fascina facturos oculis. Stat perfida tellus
 Flumen alens venis & inobservata latentes
 Area spargit aquas ludentibus invida Nymphis,
 Quæ cœco si tacta pede est, furit omnis ab imo
 Insidiisque ruit vortex emissus ab altis,
 Objectans sibi se propriosque volutus in ortus,
 Plebejos tamen heic latices ne concipe; nam vel
 Lenæus fluit inde liquor, vel nectaris imber
 Diditur, æthero pasturus germina succo
 Adstant & vultus imitantia signa ferarum,
 Adstat olor pincerna, intusque cientibus undis
 Jam visus cantare, & nunc quoque flumina grata
 Sculptus amat. Roseis mansuescunt ora Draconum
 Fontibus, & torvi ringuntur molle Leones.
 Præterea gemini fontes labuntur Amorum

Usibus

Usibus aptandi geminis. Stillata rosarum
 Hunc fudere Olea. Hic faciles in pectora flammæ
 Instillat, queis tela Puer felicia tingit,
 Concordes paritura toros. Hunc dulcibus unum
 Destinât obsequiis & amori servat amœno,
 Alter mordaci rigidissimus horret aceto,
 Et sale, qui Vatum lacrymis sua debet amantum
 Incrementa: illo male sani unguuntur amoris
 Spicula, quæ venis penetrabile virus adhalant:
 Hinc pia tempestas oculorum spargitur acri
 Mota sale, hinc gemitus & fœminei singultus,
 Et metus, & ventis commissa fidelibus otia,
 Votaque, sed celeres quæ destituere Kalendæ,
 Et votis jugulata novis, vigilataque multum
 Somnia, & obtusis suspiria pendula pennis.
 Circum umbræ tenues tristesque vagantur amantum
 Hinc illinc animæ, & veteres meditantur amores,
 Et jam pone volant; jam fonte lavantur acerbo.
 Heic iræ celeres, pietâ mendacia fronte,
 Et Curæ crines laceræ, fraudesque dolique
 Circumeunt, pullæ descendunt littora taxi.
 Heic inulæque aloëque & terra ablynthia surgunt,
 Atque venenata multus latet anguis in herba
 O miseros hoc fonte procos! sed provida semper
 Miscet utrumque Venus: namq; hos vel partibus æquis
 Temperat, aut paucis majus confutat amarum
 Nectare, vel nimio nectar contristat amaro.
 Stant alibi pulchro dispositæ schemate sylvæ,
 Ac hyemem gignunt foliis quæsitæ somno
 Frigora. Congestis avis heic cytharistria ramis
 Multa sedet frangitque sonos & gutture acutos
 Turbinat accentus sua per vestigia lapsos.
 Jam nemorum Siren vocis Philomela mæandros
 Circinat, & fringilla suos & alauda susurros

B

Alter-

Alternis miscent numeris, Heic grata columbis
 Incunabla sacris, roseis quas Diva quadrigis
 Iungit, & heic nidos statuunt & fætibus implent.
 Heic oracla canunt, ceu quas Dodonia querens
 Fovit, & hæc parvi scribunt præfagia Amores.
 Lascivus non passer abest, tibi Lesbia qualis
 Irruit in digitos, crebrosque agitans hymenéos.
 Hic centum Nymphæ, centum sub frondibus errant
 Aligeri Fratres, qui vel de Floribus udis
 Auroræ fugunt lacrymas mustoque rosarum
 Ceu teneræ saturantur apes, vel poma revellunt
 Aurea, quæ facili mittunt super æthera jactu
 More pilæ, certisque petunt jaçtata sagittis,
 Anticipantque istas pennâ veloce sagittas.
 Pars etiam innocua pomorum grandine Nymphas
 Obruit & largo florum se perpluit imbres,
 Pars melimela metit vel amygdala dulcia carpit,
 Aut florem agglomerat, vel nectit myrtea ferta
 Vatibus in fidi pretium & solamen amoris.
 Sunt qui Elegos, sunt qui natos ex tempore lusus;
 Et sylvas faciles, & falsa Epigrammata cantant.
 Sunt qui crescentes truncorum è cortice virgas
 Excidunt, aliisque æterno glutine jungunt.
 Pars agitat Satyros, & rustica numina Faunos:
 Sunt etiam Arboribus qui mutua vulnera figunt,
 Præludantque suæ parvis conatibus arti,
 Ut certo sibi constet amor. Quæ cuspide tacta est,
 Arbor amat: jamque hæc arctis concurrere gaudet
 Frondibus, & ramos tacta appetit illa maritos,
 Amplexusque plicant pronæ. Jamque ipsa vetustis
 Robora amant lignis, jam fusius induit ulmum
 Pampinus, & memores celebrant connubia palmæ,
 Et lentæ falicum lunantur in oscula virgæ.
 Bistonius jungat numeros & carmina Vates:

Et saltasse velint totâ ex radice recisæ,
 Innubalaurus abest, tædas exosa jugales,
 Quam nec amor pharetris, Dea nec dignata hymenéo
 est.

Deerat & hîc proles tardè crescentis OLIVÆ,
 Quod solers jam sentit Amor, qui maximus inter
 Sidereos fulget sublimi vertice fratres
 Mater, ait: memori voces jam mente repostas
 Servo tuas; nunquamque animo promissa voluptas
 Excidet: optatæ quandò dominamur OLIVÆ?
 Solve fidem Genitrix, & iniquâ sorte Minervam
 Exue: nam nostro digna est accessio regno.

Risit, & ô nostras nondùm perdocte figuras
 Mater, ait, nondum satis ò exercite ludo,
 Nate, meo. Vocis te perfida ludit imago.
 Te tuus interpres, te nominis omnia fallunt;
 Sunt aliæ nobis OLEÆ, neque frondibus istis
 Aut ligno capimur, nimis hæc plebeja voluptas.
 Est quâ se tollit Cimbrorum Principis aula,
 VIRGO, salutari nomen quæ debet OLIVÆ,
 Quæ virtute pares, superos quæ vincere forma
 Possit, quæ nostrâ poterat considerare conchâ,
 Docta Patris docti soboles: nam tota Minervæ
 Incumbit studiis, nostros ea friget ad ignes
 Arte novâ, & missis tota est impervia telis.
 Hos volvit Iove nata dolos, queis nostra refutat
 Numina. Saxificæ quod stillant Gorgonis angues
 Illa capit virus, teneros quo perfricat artus.
 Hi frigus ferale bibunt, & ad ossa rigentem
 Demittunt silicem, coeunt in marmora venæ,
 Et toto cutis osse stupet. Sic agmine facto
 Cùm Boreas Eurusque furunt & frigora miscent
 Flatibus, æratas inducunt flumina crustas,
 Celatosque novo defendunt robore fluctus,

Sic cataphracta tuas eludit Virgo pharetras
 Ære sedens triplici, jamque à cognomine ligno
 Tota abit in lapidem, tota hæc intercute saxo
 Stringitur immitisque hyemes & frigora Zemblæ
 Intus alit. Sed nos alia superabimus arte,
 Cùmque arcus fallant, OLEO infundemus amores.
 Est liquor exiguo penetrans solidissima dente
 Corpora, quem coxit Siculis in fontibus æstas;
 Qualis & iste fuit, mea cui primordia Diva
 Debeo natalesque meos; neque de side spumâ,
 Sed molli sum nata oleo, quod semina rerum
 Cunctarum tenet ac aurai simplicis ignem.
 Est Oleum quoque quod Petra gignit fertilis, est quod
 Tosti sudarunt lateres. Hæc omnia Naphta
 Temperet, ostensos tacito quæ provocet ignes
 Fomite. Sic saxi quæ quondam egressa potestas,
 Ingreditur virtute pari, poteritque minutas
 Rimari per operta vias & pandere clausos,
 Quâ data porta, sinus. Si cedere nolit, acetum
 Adde meum, quo vel vetitas novus Annibal Alpes
 Rumperet. Adde oleum flammæ insuperabile, cuius
 Irrita foecundis incendia viribus obstant.
 Adjice nitrati globulos salis, injice mentham,
 Seminaque urticæ, & guttas ardentis aquæ sex:
 Illis adde tamen, ne mitia balsama desint,
 Quæ molles faciant animos flammæque latentes
 Ad sua membra vocent, grata & promulsæde pascant,
 Cinnama quem fundunt, quem caryophilla liquorem,
 Et quem Pineæ nux & quem nux Indica stillat,
 Pingues Pistaci succos, Macisque salivam,
 Euphorbi Libycæ rorem leporisque medullam,
 Reptantesque solo cochleas, tritumque pyrethrum.
 Non oleum desit, quod fluxit partibus illis,
 Pontice queis vitam Castor servare recisis

Crede.

es

Crederis ancipitem, non id quod amygdala, non quod
Quassarum genuere cadavera formicarum.

Hæc Tu Pœonio ritu confunde Cupido
Pharmaca, tùm sumto Cimbros accede veneno.
Et totam toto fluvio perfunde puellam.
Tùm pastas oleis tædas ignesque sacratos
Concute; sic celeres admixta bitumina flammæ
Ad sua membra trahent vectas famulantibus auris.
Ergò ubi iam segnes tempestas ignea fibras
Corripit, & molli castigant balsama succo;
Tùm cape tela puer calamisque sonantibus urge
Pectora, ut in calidos, quanta est, solvatur amores.
Hinc & adi gratas, quas NIDERSTATTIUS ædes
Incolit, egregium generoso incoctus honesto
Pectus, & unguiculis Musis formatus ap ipsi,
Quæ pubem ingenii canam seniumque juventæ
Miratæ appendunt laurosque hederasque sequaces.
Iam Themis ipsa dedit, quæ per ramosa viarum
Legiferas, sectari aquilas justumque biforme,
Affusisque jubet legum subsellia nimbis
Perpluere: Hinc aulæ curis majoribus addit
AUGUSTOQUE DUCI, jussitque à vultibus illi
Stare sacris. dignos commendat gratia mores.
Et pulchræ stat frontis honos mitique severum
Miscet; & ille novæ dotetur munere prædæ.
Sic volo, sic jubeo. Poterunt cessare sagittæ.
Dic tenerum, dic molle aliquid, dic dulcia sponsæ
Nomina, & illapsos patulis bibet auribus ignes.

Dixerat: at collo applaudens puer ales eburno
Oscula figebat Matri, pennisque citatis
Hinc abit ad Cimbros: at quæ volat, aëre toto
Spargit Achæmenias nubes placidamque beati
Ingluviem laticis, rorant pennæque sinusque:
Stant famulæ in sylvis frondes, calet obvius ales

Igne sacro, ac ipsis pisces uruntur in undis,
 Ipsaque divino stat saucia vulnere tollus,
 Et varias effundit opes Zephyrique procantis
 Pingit delicias, speciosos veris ephesos,
 Quidquid Arabs Medusque legit, spicasque Cilissas,
 Et Casiam mollem & Cerinthi flexile gramen
 Thymbrasque & violas gratâ ferrugine tinctas.
 Has longo ducit Puer hic post terga phalanges
 Sirmate. Iamque ubi se mediis penetralibus infert,
 Tectus nocte suâ, lecto tum forte jacentem
 Invenit & gratos spirantem pectore somnos,
 Quos succis firmat medicis. Visa illa jacendo
 Pulchrior, & totâ perfusus Virgine vultus,
 Membraque lustranti patuerunt singula tædæ.
 Nec mora, & arcano perfundit pectora nimbo,
 Admittitque faces, flammisque sequacibus artus
 Mitigat, & motis incendia ventilat alis.
 Dumque ferit telis, repetitaque nomina SPONSI
 Commitcet telis, vigil hæc jam lentit & audit
 Dulce nefas, frustra que inhiantes dissipat ignes
 Ter revoluta toro, ter flammam motibus augens.
 Ergo abit & tanto turgens puer ille triumpho
 Iungit ovans alium: jam NIDERSTATTIUS illi
 Visitur: at facibus non utitur atque sagittis.
 Nomina sunt ignes illi, sunt verba sagittæ,
 Iam vulnus factura animis, queis dulcia miscet
 Sefama, jamque facer membris furor, imaque venis
 It Venus, & pulchra jam cœpit imagine tangi,
 Iamque unam sua vota vocat, sua mulla, suum cor,
 Singultatque leves elegos. Quem curia poscit,
 Ida tenet. Iam non bullato pulpita Baldo
 Pressa gemunt, teneri subeunt Nasonis amores,
 Et soli placuere, interque Cupidinis arma
 Nunc leges & jura silent, Iam mitior audit

Virgo

Virgo, jam firmam vota in contraria mentem
 Flexerat. Illa suos jam visa odisse labores,
 Artificem jam spernit acum. Non Palladis artes,
 Sed Veneris commenta placent, jam somniat unum,
 Unum cogitat, & totum se mancipat uni.

Indoluit hinc spreta Themis, Tritoniaque inde
 Virgo; sed infixos frustra remoratur amores.
 Nil Themis aut Pallas potuit, quanquam illa mederi
 Exilio tentet, crescentesque invida flammæ
 Injectis frenare moris. Non tædia longi
 Temporis aut memores ætas evellit amores.
 Falleris. Haud uno thalamis præscribitur anno.
 Actio perpetua est, plusquam Vestalibus ille
 Urit amor flammis, & sese pascitur ipso.
 Ire tamen jussit Themis, ac oracula magni
 Principis excelsis dedit enarranda Dynastis.
 Ergo abit hinc animæ Sponsus pars altera amatae,
 Fitque exul mox ipse sui. sic mansit amator;
 Ast Orator abit, patriis dum migrat ab oris,
 Mens redit in patriam ac in amico pectore spirat.
 Ille tamen pigro dictat convicia soli,
 Et lentos dolet ire dies, jam computat annum
 Et numerat menses & tardas increpat horas.
 Sæpè sibi voluit plumescere brachia fato
 Nise, tuo, aut volucres Cyllenæ optaverat alas,
 Raptoremque Aquilam, si molles Dædale pennas
 Aptares humeris, liquidum ille flagellet inane
 Icarus & patriis cupidum se sisteret oris.
 Tantus in absentem calor est. jam firmat amores
 Litera, jam calidas labor est sudasse tabellas
 Unicus. Indocilis lassatur vulnere crebro
 Pagina, dum dubias voces suspensa moratur
 Sepia. Iam molles numeros, jam tristia scribit
 Carmina, jam multo chartas effœminat aurô.

Illa quoque in lacrymas toties abit & sibi rapta
 Gaudia & invisos queritur surdescere Soles.
 Hei quoties vult s iterum sibi poscit amicos,
 Dilectumque caput! centum stant pectore curæ
 Quodque timet, nescit, metuit tamen omnia virgo.
 Hunc illi reducem toties pia somnia fingunt,
 Hunc loquitur toties abientem, hunc nominat unum.
 Viderat indomitos nullo Themis ariete utrique
 Stare animos. Ceu stat cœlo contermina rupes,
 Quam frustra insanis impellunt flatibus Euri
 Et maris irati rabies, sed fracta furentes
 Se retrò in spumas agitat, mergique rebelles
 Et jugulat sepelitque in se commota procellas.
 Ergò animi curas miserata gravesque labores
 Iussit amare suum, si ficles salva, clientem.
 Nec sanctum suspendit opus. Iamque ille penates
 Rursus adit patrios, & per tot vota petitos
 Ille salutat agros. Iam per tot vota petita
 Fertur in amplexus OLEARIA, nec sua differt
 Gaudia celatas Venus intestina favillas
 Suscitât, ac ardent festa ad genialia tædæ.
 Ipta parat thalamos OLEARIA blandula: nam nunc
 Nil intra hanc OLEAM duri est, jam mollia fandi
 Tempora, jam faciles aditus taciturna tecludit,
 Et jam pacalem supplex prætendit OLIVAM.
 Libratur tereti Sponsæ gratissima collo
 Sarcina mille sonant animæ sugentia rores
 Oscula mille totis irrepunt murmura, rixæ,
 Confiētuique leves, mille heic poppysmata strident.
 Ipta suos fundit vobis Venus aurea flores,
 Quodque pede calcant, rosa fit, quod dextra prehendit
 Fit rosa, & ex ipsis rosa nunc decerpitur osculis.
 Quæ Phryx atritus nociturum vertit in aurum,
 In molles abiere rosas, quæ corpore pluma

Tangi-

Tangitur, in florem crescit, substrataque amantes
 Fulcit, at impurum nollet sic condere Verrem.
 Roscida non cessant heic balsama, nec puer Ales
 Cessat Amycleo thalamos conspergere thallo.


Felices Anima, queis temporis atque olei plus
 Impendit mea Musa, quibus se effundere totos
 Pegasei gaudent latices, quam sidere fausto
 Æthereus vos jungit Amor, firmâque ligavit
 Compede, quam sanctis pascuntur pectora flammis!
 Crescant felices felici fidere Amores!
 Crescant felices OLEÆ surgantque per auras,
 Latius, ut totam proles OLEAGINA mensam
 Occupet. Infelix foliis OLEASTER amaris
 Exulet, & molli contraria quercus OLIVÆ.
 Inere nunc, ô SPONSE. tuis hæc figitur arbor
 Formanda auspiciis plantandaque virgine dextrâ.
 Æstivâ illa togâ brumas Aquilone rigentes
 Arceat, & viridi confutet fronde procellas,
 Longaque vivaces serpent in secula rami.
 Non illam tangat violento Sirius astro,
 Fulmina nulla premant. Procul hinc, procul este bipens
 nes

Sacrilegæque manus, totoque absistite luco.
 Non tamen hæc sparget vacuas sine frugibus umbras,
 Atque triumphales tantum decrescet in usus,
 Sed flores baccasque dabit. Tum pulchra trapetis
 Munera, SPONSE, premas, tum flumina nectaris ibunet,
 Balsamaque, insuavi quæ non perimentur amurca,
 Quæ sine fine fluant, ceu Sarpathana fluebat.
 Amphora. Sic crebros ferte, ô pia corcula, fructus,
 Et ramos ramorum & qui nascuntur ab illis
 Iungite, ut hinc seri carpant sua dona nepotes.

B §

AR-

ARBOR AMORIS,



Veneri dicata,
 Perpetuis decorata comis,
 Zephyro contēta colono,
 Pupureis stipata Rosis.
 Arbor, cui patulo in tegmine frondiū
 Mellificatis Apes, Nidificatis Aves.
 Et Cypriæ Columbæ. Molli foventur Umbrâ
 Venusque Gratiæque, & quicquid est Lepórum
 Perpetuas agitant Choreas,
 Dum Venerem exercent frondes, dum sibila jungunt.
 Substrata terra spirat. Violasque Amaracumq;
 Tepidique dona Veris merumque Mel Deorum.
 Modo poma carpunt aurea Cupidines Iociq;
 Mille Pharetrati ludunt in gramine fratres

Ipsa Cytheris
 Sculpsit in ipso
 Cortice Nomen,
 Nomen Amantum,
 Nomina cunctis
 Integra seclis:
 Dumque rigavit
 Nectare dixit:
 Ergo nec Imber,
 Turbo, pruinae,
 Turber Amores,
 Me duce, vestros:
 Dixit, & osculis
 Nomina sanxit:
 Ergo beati
 Crescite Amores,

Quantum Vere novo Viridis se subjicit Alnus.

VENUS JOVIA.

In Nuptias

Viri Nobilissimi & Amplissimi

DN. FRIDERICI NASSERI.

J. U. D. Dicasteriorum Provincialis &
Aulici Advocati

& Lectissimæ Virginis

ANNÆ EMERENTIÆ

KIRCHMANNIÆ

[Cum illæ die Jovis celebrarentur.

VENERI. JOVIÆ. SACR.

CUIUS. AUSPICIIS.

IPSO. IOVIS. DIE. IUNGITUR.

PAR. NOBILISSIMUM.

FRIDERICUS. NASSERUS.

ET.

ANNA. EMERENTIA. KIRCHMANNIA.

IPSE. IVPITER. IPSA. IVNO.

NVLLI. HIC. IOVIS. SATELLITES. AVT. VEIOVES,

NVLLA. HIC. FVLMINA. NISI. QVÆ. A-
MOR. SPARGIT.

NVLLA. TONITRVA: NISI MVRMVRA. QVÆ.

IVPITER. IVNONE. IN AVREM.

NEQVE. METVIT. HÆC. FVLMINA. NOSTRA.

IVNO. VT. QVÆ. NON. PROCVL. A. IOVE. ET.

FVLMINE AGIT. SED. PROPE. AD. IOVEM.

HVNC. ET. FVLME. ACCEDIT.

UNO.

UNO IOVE MINOR.
 FONTEM AMMONIVM, IMITATVR.
 QVI INTERDIU. FRIGET. NOCTU. FERVET
 FRIGET. ENIM. AMOR. SUB IOVE. FRIGIDO.

TU VERO SPONSE.
 QVAMVIS. NEC. IVPITER. OMNIBVS. PLACEAT.
 TVÆ. PLACEBIS. TAMEN. IVNONI.
 QUAM. NE. IRATAM. HABEAS.

PROVIDEBIT. AMOR.
 MEMENTO. INFELICITER. OLIM. OB. IVNONIS.
 IRAM PVGNATVM. ESSE. AD. GANNAS.
 NEQVE. NVBEM. NVNC. AMPLECTARIS. PRO.
 IUNONE.
 THALAMVS.

ESTO. CAPITOLIUM.
 IN. QVO. SVBSISTANT. IUVENTAS. ET.
 TERMINUS,
 NASCANTVR. HINC.

MERA. IOVIS. GERMINA.
 HERCVLES. RHADAMANTI. IVNONILLA.
 VALETE. AGITE.

VIVITE.
 FELICITER..

AD SPONSOS.

Nobile Par, quod blanda Venus, quodque equum a-
 Iupiter & simili fors ligat equo toro. (mabit
 Cur placet ista dies Veneris sacrandæ triumphis?
 Et cur auspiciis subditur illa Iovis?
 Et Iove vos fausto iungis & Iunone secundâ,
 Id magnum (Vates auguror) omen habes.

Omen

Omen habet, sed quod vos ipsi conditum, & quod
 Nititur auspiciis, Sponse beate, tui.
 Sponsa Tibi Venus est, Sponsa est Tibi Cinxia Iuno
 Ipse tui poteris Iuppiter esse tori.
 In Thalami scandis Capitolia Iuppiter ipse,
 Et Capitolinus nunc celebratur Agon.
 Pugnatnr. Sed nulla armant tibi fulmina dextram;
 Dulcia at ex oculis fulmina spargit amor.
 Et magis illa urunt, terebrantque secantque, nec illis
 Preponit flammis Iuppiter ipse suas.
 Pugnatnr. Sed non intentant arma Gigantes:
 Porrigit at victas bella puella manus,
 Non superimposita Cyclops tumulabitur Aetna.
 Sed tepido thalami carcere Virgo latet.
 Iuppiter esto Stator, quo rerum praside summa
 Salva sit, esto tui firma columna tui.
 Esto Stator: neque tum scandent fulmenta grabatum,
 Nec rerum status hic Te sub Atlante cadet.
 Pugnas & Vincis, poterisque Feretrius esse.
 Dum pulchra spoliis Virginitatis habes.
 Sis Pistor, sis Elicius, quocumque placebit
 Nomine Iunoni Iuppiter esto tua.
 Si Aquila, aut Cygni Tibi demum aptaveris alas:
 Te tamen haud Lapidem sentiat illa Iovem.
 Omnia tum tibi fausta, & erunt Iovis omnia plena,
 Et bene taxilli tum cecidere Iovis.
 Sit felix Iovis illa dies, felicior illa
 Nox erit, & Tibi nunc gaudia plura dabis.
 Post Iovis hanc lucem Veneris felicior hora
 Surgit & a media tempora nocte trahit.
 Sic bene divisa spaciis aequalibus hora,
 Hac Veneris nox est, & Iovis illa dies.

 VENUS

VENUS CONSULARIS

In Nuptiis

Viri Nobilissimi & Consultissimi

DN. ANTONII SCHEFFER

J. U. D. Reip. Patriæ Consul & in Tribuna-
li Regio Advocati dignissimi.*Et Lectissimæ Virginis*

BARBARÆ SCHEFFER.

Carmen Extemporale.

Conspirat Themis atque Venus, dum gloria crescit,
 Crescit amor, decorique decus succedit, & ipsum
 Se sectatur honos viresque acquirit eundo,
 Et tituli gignunt titulos: Vix labitur annus,
 Ac ingens ter nomen habes, semperque futuro
 Sternis iter: Themidos Te pulpita Norica Mystam
 Cum primium confessa sonant, verque abdita ferris
 Iura jubent, cautumque sacros evolvere nodos;
 Tradidit orandas mox curia Regia causas,
 Solarisque reos & lites legibus armas.
 Hinc insperatos Respublica patria fasces
 Credidit & genio populum moderaris abito.
 Nunc SPONSVM STRALSVNDA vocat, pulchraque
 severus

Conjuge mitescis Consul flammaque potenti.

Sic ubi cum sociâ Conjux Iunone jocatur

Iuppiter, in faciles vultus abit oraque ponit

Magno digna love, & jam Conjuge digna resumit.

Tunc in secretam non tristibus influit aurem

Alloquii, mulcetque manus, qua fulmina nescit,

Submittitque suos alienis ignibus ignes. (nare

Quam plaudis Tibi noster amor, dignumque so-
 lam

Iam vellet mea Musa melos! sed multa parantem
 Dicere, multa tuis meditantem Carmina tadis,
 Mille jocos, & mille sales, & mille lepores,
 In diversa trahunt aliena negotia Vatem,
 Dumque suus non est, vix est tuus ille, tuoque
 Vix patet officio, nec si cum fascibus iustet
 Ille tuus Licetor, nec si feras ille securim
 Expediat, vel vincula paret. Nec mollia Phœbus
 Tempora, nec faciles aditus, nec commoda spondes
 Omina. Castalios vix jam mihi tangere fontes
 Vix haurire datum, dum me prope litteus amicum
 Pes celer à tergo pellentibus avehit Euris.
 Sic cum Nilivacam sitiens Canis errat ad oram,
 Et putri sentit strepere Crocodilon in algâ,
 Tum fugit, & summâ vix os sibi proluit undâ,
 Ac interruptos bibit & vix imbibit haustus.

His Te ergo incomptis jejuna hac Musa salutat
 Versibus, & vestros fortuito dicit amores
 Carmine: nam frustra nunc vi vos rodimus ungues.
 Nos saltem hac vobis levidensia munera, mentis
 Candida & antiqui in documentum demus Amoris.

Quam felix Tibi surgit Amor! de Consule Sponsus
 Diceris, auspiciis que tuis tam splendida signas
 Gaudia. Non satis est, quod Consul publicus audis,
 Consul & esto domi. privato consule lecto,
 Privataque Res. postquam tibi publica fregit
 Cura diem, potes & noctu nunc Consul haberi.
 Nunc Tu ceu præsēs, collega que Barbaro lecti
 Consulite in medium, sunt & sua iura sacratio
 Non retegenda toro, tacitis res omnis agetur
 Consiliis, tum certa Venus suffragia dicat,
 Et vos sub magnis agitatis legibus ævum.

Fortunata dies, qua nunc felicibus horis
 Ingredieris celo pulchrosque exurgis in ignes,

Te

Te pompâ Cytherea novâ & præsentibus ornas
 Auspiciis, gratiæque inservit amoribus: illam
 Non currus, non concha vehit, sed sella curulis,
 Regia & à solido perfecta nitens elephanto,
 Quælis Consulibus quondam concessa putatur
 Ausoniis: neque enim jam vult minor illa videri.
 Picturata togam prætexit purpura limbo,
 Bis seni Marrem stipant ex ordine fratres,
 Nec pharetras telis onerant, sed fasce ligata
 Suspendunt hastasque ferunt, junguntque secures,
 Lictoresque novos simulant, speciemque veteram
 Ostentat fictis majestas amula signis.
 Myrtus amica premit nodo conjuncta perennis
 Tela, nec adstrictos dirimet discordia fasces.
 Concordes vobis animos mansuraque sanctus
 Vincula spondet amor, signant hæc omnia fasces,
 Quos vis una ligat, non hæc nocuere secures,
 Icta sed æternis sustentant vulnera flammis.

Hos, Tu, SPONSE, duces, nota regione viarum,
 Hos comites sectare lubens. jam gratior instat
 Nox omni sperata die, jam Cypridos astrum
 Præluceatque viam & vestro præluat amoris.
 Ad nova jura tori novaque ad collegia Consul
 Duceris. hæc placidis leges scribentur in ulnis,
 Quas docuit Natura Parens tu terrena pelle
 Jura procul, tepido subsidat curio lecto,
 Et peplo recrea trabear. hæc sola tribunal
 Occupet alma Venus, Charites, Risusque, locique.
 Perpetuus Tu Consul eris, sed nomina Fastis
 Annua & egregios Patria transcribe Quirites.

Epigramma.

Epigramma

In Nomen Sponsæ.

Ad Sponsam.

Barbara nulla placent. Tibi Barbara ducitur Vxor;
Et placet hac animo Barbara sola tuo.
Barbarus ingenio seu quis dicatur; an ore;
Hæc neutro dici Barbara jure potest.
Mittor ingenio nulla est, nec blandior ulla
Solvit in acceptos ora diserta sonos.
Pellite barbariem ludis vel pellige mundo.
Barbaries thalamo regnet amica tuo.

CUPIDO ARGUS
EIUSQUE SPECULA

Descripta & dicata
Amoribus

Viri Plurimum Reverendi & Clarissimi,

DN. JACOBI HELWIGII,

S.S. Theol. Lic. Ecclesiastæ Berolinensis

&

Leetissima Virginis

ELISABETHÆ HERTZBERGIÆ

*** **

VENERI. OCVLATÆ.

ET.

CUPIDINI. ARGO.

CENTOCULO. SPECULATORI. LTNCEO.

ΕΡΗΓΟΡΩΙ.

QUORUM. POTENTI. FASCINO. TACTI.

C

IN.

IN OCVLIS. NUNC. SE. FERUNT.
 OCVLISSIMI. Duo.
JACOBUS. HELWIGIUS.
 ET.
ELISABETA. HERTZBERGIA.
 VIRGO.
 SPONSVS. ET. SPONSA.
 EVGE. FASCINVM!
 NON. ADDIMVS. HEIC. PRÆFISCINI.
 NEC. SPVTVM. OCVLIS. ILLINIMVS.
 IMBVIT. ILLOS. VTRINQVE. NECTARIS. SVI.
 PARTE. QVINTA. VENVS.
 NEC. TOLLIT. HOC. FASCINVM SED. INFERT.
 TELCHINAS. TAMEN. HIC. NE. TIBI.
 FINGE. ET. IALYSIOS.
 HOC. FASCINO. EFFASCINATVR. ORBIS.
 QVANTVS. AMORIS. OCVLVVS!
 QVI. OMNIA. CAPIT. QVEM. NEMO.
 COECI. SVNT. QVI. COECVM. FACIANT. CVPIDINEM.
 OCVLATVS. IPSE. OCVLATA. ILLI. OMNIA.
 OCCIPITIVM. OCVLATVM. AVRES. OCVLATAE. }
 LINGVA. OCVLATA.
 IMO. ET. MANVS.
 CREDVNT. QVÆ VIDENT. ET. VIDENT.
 QVÆ. CREDVNT.
 NONNVNQVAM. ETIAM. PRÆVIDENT.
 IMO. IPSE. TOTVS. OCVLVVS. QVAMVIS. TOTVS.
 OCCVLTVS.
 NVLLI. VIDETVR VT. PALLADIVM.
 ET. VIDET. OMNIA
 QVOT. OCVLI. ILLI. TOT. ARCVS. QVOT.
 RADII. TOT. SPICVLA,
 SEDET

39

SEDET. IN. VMBROSA. QVADAM. ET. RECON-
DITA. ORBIS. SPECULA.

SCEPTRO. INNIXVS. OCVLATO.
INTVS. CIRCVMVOLITANT. IDEÆ. PVLCHRI.
SOCRATICI.

HEIC. OCVLIS. SIGNAT. QVOS. STRINGAT.
NONNVNQVAM. SPECILLIS. FORMAS. DVPLI-
CAT. NONNVNQVAM. MINVIT.

NONNVNQVAM. ACUTUM. VIDET. ET.
ΔΡΙΜΤ.

NONNVNQVAM. CONNIVET.
ΤΠΕΡΩΠΟΣ.

SED. HEIC. NON. SEDET. NISI. OTIOSVS.
ET. QVANDO. NON EST. CONSTITVTVS.
PROCVRATOR. AD. OTIOSORVM. NEGOTIA.
ID. EST. AMORES.

ALIAS. VOLAT. PER. OCVLOS. HOMINVM.
ET. NVNC. QVOQ; IN VESTRIS. HOSPITATVR.
HEIC. PICTOR. PINGIT. AMANTVM. PVPVLAS.
HEIC. NECTIT. EXTREMAS. AMORIS. LINEAS.

HEIC. DOCET. IPSIS. CILIIS ΓΕΩΜΕΤΡΕΙΝ.
NULLUS. AMOR. ΑΓΕΩΜΕΤΡΗΤΟΣ.

CILIA. HEIC. SUNT. PINACIDIA.
SINVS. SVNT.

TANGENTES. SECANTES. RECTI. VERSI.
ARCVS. SAGITTÆ. CHORDÆ. HYPOTENUSÆ.

SOLIS. OCULIS. AMOR. ΕΤΘΤΜΕΤΡΕΙ.
ILLORVM. ACIES. HAC. IN. PARTE. DVCIT. Α-
CIEM.

AD. ALIOS. DVCES. SPECTAT. EPIPEDOME-
TRIA. ET. STEREOMETRIA.

C2

IAM.

JAM. DOCET.

VENATURAM. FACERE. OCVLIS. EMISSITIS,
HABENT. ENIM. ET. OCVLI. SVA. RETIA.
QVIBVS. AMANTIVM. IMAGINES. RETINET.
RETINA.

CAPTUS. EST. HABET. ET. QVI. CAPITVR.

ET. QVI. CAPIT.

TUM. IN. NERVUM. ITUR. SED. OPTICUM.

MIRUM. OCULORUM. INGENIVM!

HIS DUCIBUS. PROCAMUR.

HIS. PROCIS. AMOREM. INTERPRETAMUR.

HIS. INTERPRETIBUS. IOCAMUR.

HIS. PRÆMISSIS. RATIOCINAMUR.

NEC. SINE. MEDIO.

SIC. OCULI. ΣΤΑΛΛΟΓΙΖΟΝΤΑΙ.

HIS. ORATORIBUS SERMOCINAMVR.

HIS. RIDEMUS. ET. LOQVIMUR.

HIS. MODESTIAM. PROFITEMUR.

HIS. MOTIS. ANIMOS. MOVEMVS.

HIS. ANIMOS. MOTOS. SEDAMUS.

SIC. OCULI. ΠΗΤΟΠΕΤΟΤΣΙ.

OMNIBUS. ARGUMENTIS.

ΛΟΓΟΙΣ. ΗΘΕΣΙ. ΠΑΘΕΣΙ.

SPECVLANTVR. NON. SOLVM. SED. ET.
AGVNT.

PHILOSOPHIAM. EXERCENT.

NON. SOLVM. THEORETICAM. SED. ET.
PRACTICAM.

MIRA.

MIRA. EST. OCULORUM. DISCIPLINA. IN. AMORIS.
GYMNASIO.

ALIUD. VOLUNT. CONTUOLI. ET. CONNIVI. ALIUD.
PÆTI. ALIUD. STANTES. ALIUD. IACENTES. ALIUD.
PROTERVI. ALIUD. SERENI. ALIUD. PATRANTES.
ET. MORSICANTES.

MIRUM. EST. QVAM. SIBI. PLACEANT. ROSCII.
IN. HAC. HISTRIONIA.

OCULI. AMANTIUM. SUNT.
FULMINA.

URUNT. SECANT. TEREBRANT.
SUNT.

SOLES. FACES. IGNES.
FOVENT. INCENDUNT. URUNT.
ADSPECTU. CONSPECTU. INTUITU.
RADII. AMATORII. IN. OCULI. PUNCTO. VERTI-
GINANT. CEU. IN. VITRO. CAUSTICO.

HINC. ILLÆ. FLAMMÆ.

A. FLAMMIS. SUCCEDENTIBUS. OCULORUM.

FONTES. DIFFUNDUNTUR.

HINC. ILLÆ. LACRIMÆ.

QUÆ. AMORIS. MIRACULA!
IN. UNO. OCULO. ET. IGNEM. JUNGIT.
ET. AQVAM. ET. ÆTNAM. SERVAT.
ET. NILUM.

NEC. FLAMMÆ. SICcant. LACRIMAS. NEC. LA-
CRIMÆ. EXTINGUUNT. FLAMMAS

OCULI. SUNT. SIDERA.

C 3

AD.

AD. HANC. HELICEN. ET. CYNOSU-
RAM. VERTITVR. AMANTUM. CYMBA
TV. VERO.

SPONSE.

CUI. NUNC. DEXTER. OCULUS.

SALIT.

CUI. QVÆ. ANTEA. ERAT. IN. OCULIS.

NUNC. EST. IN. OSCULIS.

AD. ANIMUM. NUNC. NON. ADMIT-
TES. PRÆCEPTUM. DIOGENIS.

*VIDE, NE. VIRGINIS. OCULOS. CURANS.
CORRUMPAS. PUPULAM.*

OCULUM. APPLICA. TUUM. HOC. ERAT. COLLYRIÛ.

SOLUS. TU. HEIC. MEDICUS. OCULARIUS.

NON. HEBESEIT. HIC. OCULORUM. ACIES. QVAM.

ACUIT. CUPIDO.

NEC. ACHATË. HEIC. AUT. TITHYMALLO. OPUS. EST.

OCULI. SUNT. PLUSQVAM. CÆSAREI:

NULLA. IN. AMORE. ΑΛΑΣΚΟΠΗ.

NON. PALPITAT. IN. TENEBRIS. NEC. PUGNAT.

UT. ANDABATA.

NEC. DOMI. COECA. EST. UT. LAMIA.

SPECULO. NON. OPUS. EST. AD. HOC. BELLUM.

QVOD. IN. BELLUM. ITURUS. SECUM. DUCEBAT.

OTHO. IMPERATOR.

ÆTERNUM. EST. CUPIDINIS. PERVIGILIUM.

NEC.

NEC. SOMNOS. ADMITTIT. OCULIS.

Tu

SPONSA.

IN. CUIVS. OCVLIS. NON. GRATIÆ. TRES.
SED. DECADVM. DECAS HABITAT.
OCELLI. AMBO. VERE. AUREI.

QVI. NVNC. VTRINQVE. OCVLORVM. FLO-
RES. VOBIS. DECERPITIS.

ET. ISTA. AGITATIS. NVNC. OCVLIFERIA.

QVI. FIDEM VOBIS. TACTIS. OCVLIS.

IVRASTIS. OCULATAM.

QVI. OCVLATVM. AMOREM. CONTRAXISTIS.

DIE. OCULATA

EIVS. VOBIS. ALIQVANDO. SINT.

ΒΛΕΠΟΝΤΑ ΜΑΡΤΥΡΙΑ.

CVSTODIAT. VOS.

VIGIL. ILLE. ET. ÆTERNUS. JUSTITIÆ.

ET. GRATIÆ. OCULUS.

NVNQVAM. VOBIS. OCVLI. DOLEANT.

NULLA. MORDEAT. LACRYMVLA.

NISI. QVAM. AMOR. EXPRESSERIT.

FORTVNA. VOBIS. SIT OCVLATA.

ET. POSTQVAM. MULTOTIES. AMO-

RES. VESTROS. INOCULAVERTIS.

IPSA. VOBIS. ÆTERNA. SALUS. SED.

SERO. OCULOS. CLAVDAT.

SIGN. AM. ET. BON.

OM. CAUS.

L. M. Q.

D. G. M.

CUPIDO ARGUS.

Ecce solacisimum Vates! quæ lumina nubes
 Occupat, & cæcus mentes effascinat error,
 Ut cæcus fingatur Amor? Sic à Duce cæco
 Nunc totus grex cæcus erit, quæque antecit unus,
 Succedet Veterum cæca in Vestigia vulgus?
 Tu nobis oculata Venus, Tuque alme Cupido
 Argus es, inque novos HELVVIGI armaris amores.
 Arge Cupido Veni. Cæcos arremus amores.
 Absit cæca Venus sacroque à limine veritat
 Ora: nec heic cæci posuere cubilia talpa.
 Regnat apertus Amor, Vultusque ostendit honestos,
 Telaque de centum vibrat puer ales ocellis.
 Talis Aristorida centena lumine Vultus
 Cinctus erat, queis ille Iovis servabat amores.
 Tot vigilas inter tot linguas inter & aures
 Versat Fama oculos plumarumque occulit umbris.
 Vera loquor. Nuper penitus mihi Vera videndam
 Exhibuit se forma Dei, faciemque decorans
 Explicuit, latosque oculis afflavit honores:
 Nam qua tunc Vestrum rapuerunt Numina Vatem?
 Quò celer aura iulit? Vel qui cepere recessus?
 Qua loca? Sed pedibus nunquam calcata protervis.
 Pradam aliquid? sed quod fas est nescire profanas
 Vulgaresque animas, & quos plebejus inertis
 Vrit amore furor. Latet extra sidera abyssus
 Extra anni solisque vias Orbesque remotos,
 Majestasque loci metuendis horret ab umbris:
 Heic sedes Argus Amor, totoque ardentis ab ore
 Scintilla absistunt, oculis micat acerbis ignis.
 Quos centum gemmas, totidemque micantia discas
 Sidera mille modis & mille rotata figuris,
 Heic sedes & varios Spectando discis amores,
 lamque

Jamque huc jamque illuc oculis vigilanti bus exit,
 Nam qua contiguum mundo est latus, intus opaco
 Pariete stant laevi pratexta foramina vitro.
 His ergo lapsa ductaque meatibus umbra
 Se sistunt oculis, quas tersa specilla polita
 Fronte bibunt agitantque. Hinc rerum mille figura,
 Millegue in aduerso ludunt phantasmata velo,
 Millegue Socratici circumstant schemata pulchra
 Et facies nuda, & viduata corpore forma.
 Hic totum mediis orbem perlustrat in umbris,
 Angustis infusum adytis, cum montibus urbes,
 Et mare belivolum, varisque negotia vulgi,
 Et mores varios notat, & praeformat amores.

Haec dum inter tabulas pictosque in pariete fumos,
 Ales Amor, rerumque emblemata summa iocatur
 Huc illuc volvens oculos & cuncta pererrans
 Luminibus tacitis: sum forma, HELVVIGE, decoris,
 Obvia facta tuis, sequitur pulcherrima VIRGO.
 Resistit Amor, plaudensque oculatas verberat alas.
 HELVVIGIO, (inclamans) sola est hac digna Marito.
 HELVVIGIVS solus tam pulchra dignus amore
 Virginis Ergo pio gaudens praeludit amori,
 Praescribitque vias, simulacraque tenuia iungit.
 Corporibus connexa suis. Hac disita longis
 Sedibus in molles rarefcunt luminis auras.
 Has vastis tractas spatii perque aethera magnum
 Immensoque Orbes inconcussosque canales
 Perrectas, clauso Puer excipit ales in antro
 Et leuibus miscet variatque animatque figuris.
 Ergo qua rerum nervus movet ille, movetur
 Corporis appendix, nisi quantum densa moratur
 Segnities: sentit tamen hunc, geniumque potentem.
 Miratur tacito sua euntem in viscera sacco.
 Ergo Cupido primis pictos celebrans Hymeneos

G 5

N 42

Nescia corda movent, verosque infundit amores:
 Sed quos non Sponsus praevideat, Sponsaque sensit,
 Mox animi in flammam abeunt, tacitusque medullas
 Depopulatur amor, sed causa latebat amoris.
 Ut pateat, Puer Arge, facis. lamque eripis umbris
 Teque oculosque tuos, paribusque elatus ab aliis
 In patriis cupidos agris perquiris amantes,
 Pectoraque ipsa subis jam, praesentique fatigas
 Numine. Primum Oculis hospes succedis amatis,
 Atque oculos oculis ostendis amoribus agros
 Oraque dilectis oppugnans oribus. Illis
 Tenditur à punctis arcana linea amoris.

Iam gratos poterat animo sensisse dolores
 HELVIGI, & tenera carpebant intima flamma,
 Spectasti. Primos Oculis commendas amores.
 Spectat & hac. Primos Oculis bibit inscius ignes.

O oculos in amore Duces! Hi, crede, potentet
 Sunt in amore proci, sunt illa Cupidinis arma,
 Telaque, qua Parthis non aequiparanda sagittis.
 Inde calor subit & sinuosa incendia miscet
 Visceribus, tacitusque edit intus dente medullam.
 Vos gemini Soles, vos fulgida sidera, flamma,
 Fulmina, cognatis qua semina ducitis astris,
 Quam dulce imperium, quam grata potentia vestra
 est!

Non vox lena capit, non risus mille, jocique,
 Ni vester conspires honos. Ne pulchra vocetur,
 Qua vestrâ facies non integra luce refulget.
 Vos penes arbitrium forma est, & regula Pulchri.
 Nulla comis sine vobis gloria, nulla colori.
 Non illis captatur amor, non mille iudabunt
 Oscula, lacteolique sinus, stantesque mamilla.
 Et frustra rubuere gena, candorque ruborem
 Temperat. His oculis tantum venamur amores

Et

43
Et mentes. Illis mens prospicit alta fenestris;
Et speculâ radios famulantes mittit ab altâ
Occursant radii radiis impressaque Virtus
Intus agit subigisque: Illi per mutua nexi
Miscentur, coeuntque arcana in fœdera juncti.
Subsultant contactu animi, paribusque ligati
Inter se celebrant commercia dulcia formis:
Tolle Oculos. Solem tolles ex orbe; chaosque
Perpetuum, noctemque induces rebus opacam.
Terror erit, quodcunque vides, Manesque pro fundi,
Informesque Umbra, spurcarumque antra Dearum.

Non alio Vestri nunc exercentur amores.

Auspicio. interpres mutui gestorque negoti
Est Oculus. Iubet hunc solers Amor esse disertum.
Hic causas Patronus agit, ridetque salutatque,
Et responsuros rogat, atque rogatur ocellis:
Sed recto feriat contraria lumina telo;
Sed rotet argutos transversa tuentibus hircus
Huc illuc radios, vel amico mordeat ictu.
Sic oculus in Varias pro pulchra Virgine formas
Intorquet versus amor. Viden' ut Tibi, SPONSE,
SPONSA, columbinis alludat mitis ocellis.
Hæc Paphia sunt Tempia Deæ, Charitumque tribunal.

Hic pingi Pallas Veller facilisque Dione
Luminibus, Nitida quàm grata modestis forma!
Quis decor! Et quali colucent pectora honesto!

Ergo age nunc istos propius te confer ad Ignes,
SPONSE, tuos. Faciles aditus et mollia fandi
Tempora promittunt placido Tibi Lumina Vultu.
Ipsa Tibi patet hæc post tot præludæ scena.
Sat speciei oculisque datum, lustratque dudum
Gaudia: Nunc alius, post visum, sensus optimis
Serviat officio, Oculis qua prima tenentur,

Has

Hac prensat cognata manus, serbique minores,
 Quodque Oculo famulatur Hero. Plus tacta Puella,
 Quam spectata iubar, pectusque ardentius urit
 In thalamos deducta Venus. Tum grata sonabunt
 Bassa, delectisque irrepent murmura caeca
 Auribus, & casti poppysmata dulcia lecti:
 Hic solum sit cecus Amor. Sed fallor. Amantum
 Igne flagrant oculi tenebrisque infundere lucem
 Hac ratione queunt. Tibi lucet ocellus Amica.
 Ille viam signat per opaca crepuscula noctis
 Phosphorus. Is cubitum fulgens pralucet ituro
 Hesperus, & dubios etiam astris exprobrat ignes
 Non puer Ales abest, quem centum lumina cingunt,
 Spectator, fingitque dolos gaudetque reperit.
 Ast ubi iam placida torpent resoluta quiete
 Membra; fatigatos plumis investit ocellos,
 Eternoque sacros aure consignat amores.

In Nuptias

Viri Nobilissimi & Amplissimi

**DN. JOHANNIS BERNHAR-
DI ZINZERLINGII J. U. D.**

Et Lectissimæ Virginis

**MARGARETÆ ELISABETÆ
BESELINIÆ.**

LEX.

45

LEX. THALAMI.
ZINZERLINGIANI.

ZINZERLINGE. BESELINA.

CAIE. CAIA.

STATE. AD. HOC. THALAMI. LIMEN.

LEGITE. ET. PARETE,

JUNO. JUGATINA. SIC. EDICO.

K. I.

DOMVM. DVCTAM. CAIE. DVC. IN HVNC.

THALAMVM,

LECTAM. IN. LECTVM.

FLAMMEVM. LEVA. VESTES. EXVE. ZONAM.

SOLVE,

NVDÆ. MALVNT. VIDERI CHARITES, QVAM.

NVPTÆ.

HABE. TENE. ST!

VANI. ET. PROFANI. ABESTE. AB. HOC. FANO.

PRÆTER. CAJUM. ET. CAJAM NEMO. ADESTO

PAR, HOC, SINE, PARI. SIT. ETIÀ. SINE. TERTIO;

K. II.

SOLICUBUS. ET. SOLICUBA. HEIC. NE

ESTO.

NEC. CONCEDIMVS. VETVS. TRINOCTIVM.

DIVISVM. HEIC. NON. ESTO. IMPERIVM.

SOLA. LEGVM. PRÆCEPTA. STATVAT. CAA,

NON. TRIA. SED. VNVM. IN. QVO. TRIA.

SUUM. UNICUIQVE. TRIBUERE.

DE. NOCTE. MARITVS. SEMPER. SIT.

ΓΤΝΑΙΚΟΚΡΑΤΟΤΜΕΝΟΣ.

SECVS. SI. FAXIT. AVT. ME. IRATAM. HABEAT.

AVT. INTEGRO. LVAT, TRINOCTIO.

CA-

46
CÆTERVM. FVLMENTA. LECTVM. NE. SCAN-
DANT.

K. III.

HEIC. ARA. EST. CAJE. OPERARE. CERNVVS.
NON. TAMEN. DEVOTUS.
SCENA. HEIC. PANDITVR.

SED. AGENDA. SILENTIO. FABULA.
ET. MORE. ROSCIANO.

TV. PEDEM. IN. HOC. THEATRO. TOLLE.
MANVM. PONE

AGANTVR. AUTEM. OMNIA.

DVM. VIRENT. GENVA.

DVM. RVBENT. GENÆ.

FORTITER. FELICITER.

CÆSIM. PVNCTIM.

TRACTIM. DVCTIM.

EMINVS. COMINVS.

OMNIA. PRO. RE. NATA.

K. IV.

DORMIRE. LICET.

SED. NON. VLTRA. QVAM. LICET.

ADERIT. VOBIS. MERCVRII. VIRGA.

IAM. SOMNVN. FERENS. IAM. PELLENS.

SOMNIARE. LICET.

IAM. IN. PARNASSO. BICIPITI.

IAM. IN. ANTRO. CORYCIO.

GARRIRE. LICET. SED. IN. AVREM.

VELLICARE. LICET. SED. AVREM.

OSCVLARI. LICET.

NAM. QVOD. DE. ARBORIBVS. DICIT. SOLET.

TIBI. DICTVM. PVTA.

AKPON. ΛΑΒΕ. ΚΑΙ. ΜΕΣΟΝ. ΕΞΕΙΣ.

RIDE-

RIDERE. LICET. IOCARI. LICET. LICET. XA.⁹⁷
ΠΙΤΟΓΛΩΣΣΕΙΝ.

NOSTIS. CÆTERA;

TV. VERO. CAJÈ. ITA. CVRA. RES. TVAS.
VT. PLVRIMIS. INCVMBAS.
MVLTI. SVPERSEDEAS.

SIC AMATOR. ESTO. NVNQVAM. DESIDIOSVS.
SED ASSIDVVS. VTI. ILLA. ASSIDVA.
(ET. QV/D. VETAT. ESSE. INSIDOSVM?)

NE. TVÆ. IN. TE. RESIDVI. COMPETAT. ACTIO.
FELICIA. SINT.

HINC. PRÆSIDIA. INDE. SVBSIDIA.
APAGE. DISSIDIA.

K. V.

IRASCI. LICET.

SED. QVANTVM. IRASCVNTVR. AMANTES.
RIXÆ. ET. FRIBVSCVLA. ABSVNTO.

GRATIARVM HEIC. EST. SEMINARIVM.
OSCVLA. SINT. SINE. DENTE.
AMPLEXVS. SINE. VNGVE.

CONTRA BONAM. FIDEM NE. PECCETVR.
CIRCVMVENIRE. TAMEN. LICET.

SED. MARITAM.
IMPONI. SIBI. ILLA. PATIATVR.
SED. A. MARITO.

DOLVS. IN. BONA. INDOLE. BONVS.

K. VI.

DENIQVE. REM. VESTRAM. PATRATE.
SED NON. EXPATRATE.

ET. LECTVS. VESTER. NON. IVGALIS. TAN-
TVM. SIT. SED. ET. GENIALIS.
TYM. CIXIA. ERO. NIXIA.

TV.

TVMVLVS. HIC. EST.

SED. QVI. MORTALITATEM. REPARAT.
VIRGINITAS HEIC. CORRVMPATVR.

SED. VT. NOVA. GENERETVR.
PRÆTER. UNUM ET. UNAM, NE. INFERTO.
NON. NISI. MORTVVM. MORTVAMVE. EC-
FERTO.

Hymenæus
In Nuptiis

Viri Nobilissimi & Consultissimi

DN. MICHAELIS PAN-
CRATII J. U. D.

Et Elegantissima Virginis

ANNÆ DOROTHEÆ
BOKELIÆ.

Æ ARMINE PANCRATIO DICTUS.

* * * * *

PRÆFATIO

AD SPONSUM.

Eximium pro Te jam Coniuge militat omen,
Dum Tibi BOKELIAM iungis Amice, tuam.
Nomina non capto. Sed diem tamen illa POTENTEM
Dicunt, Te magni nominis esse puta.
O sciat hoc, Verum Te solo interprete, sponsa.
Nec frustra sponsam vel data verba iuvent.

Masse

*Macte tuo, (quid enim majus potiusve habebo?)
 Nomine, vel Sponsa nomina solve tua.
 Si mavis pulchro quinquercio nomine dici,
 Pugnas officio Pancratiasta novo.
 Sic Sponsa quoque gratus eris, poterisque beatum
 Atque ita Pancraticum vivere conjugium.
 Quanta o Pancrati mysteria nomen obumbrat!
 Quantus Pancrati voce Maritus eris!
 At ego, Pancraticis dum Tu Te lusibus aptas,
 Carmine Paneratio classica grata cano.*

* * *
 * * *

HYMENEUS
CARMINE PANCRATIO. †

* * * * *
 * * * * *

EUGE! GRATIÆ
 DELICATVLÆ,
 ET LUBENTIÆ,
 ET FAVENTIÆ,
 ET CUPIDINES,
 MENTIS ILLICES,
 EUGE! PLAUDITE!
 SPLENDIDISSIMVS
 HINC AMASIVS:
 FLORIDISSIMA
 HINC AMASIA
 MILLEFORMIA
 MISCET OSCVLA,
 MISCET OSCVLIS;
 MILLE PRÆLIA,
 MILLE PRÆLIIS
 MISCET OSCVLA;

†vide Scalig.
 l. 2. Poët.
 c. 10.

D

ET

ET CACHINNVLOS
 ET SVSVRRVLOS,
 ADDET HINC IOCOS,
 TOT LOQVACVLOS,
 TOT DICACVLOS
 ET RECIPROCOS
 SPARGET HÆC SALES,
 TOTQVE MVTVAS
 MORSIVNCVLAS,
 TOTQVE MVTVAS
 PRESSIVNCVLAS,
 PONE PARVULI
 HINC ET HINC VOLANT,
 HINC ET HINC SEDENT,
 HINC ET HINC STREPUNT,
 HINC ET HINC SONANT,
 TOT CVPIDINES.
 EVGE! FORTITER!
 VIBRAT HIC FACES
 FVNDIT HIC ROSAS
 ILLE GRAMINA;
 ILLE DEXTERA
 PLAVDIT ALITE;
 ILLE SIBILIS
 AFFLAT AERA;
 HIC ODORIBVS
 SPIRAT INDICIS
 ILLE NECTARIS,
 MANAT IMBRIBVS;
 ILLE SPICVLA
 STRINGIT AVREA,
 ILLE CORCVLA
 SANAT ANXIA,
 SIC VENYSTVLI

MAR.

MARTIS IMPIGRA
 CEDIT ALEA!
 EVGE! FORTITER!
 QVANTA PRÆLIA!
 QVANTA PRÆMIA!
 QVANTA GAVDIA!
 QVANTA PVLLVLANT
 INDE NOMINA!
 ILLA CVRA SIT
 UNA PANCRATI.
 HÆC PALESTRA SIT
 UNA PANCRATI,
 QVA POTENTIBVS
 VINCAT ARTIBVS
 NAM POTENTIBVS
 POLLET ARTVBVS.
 EVGE GRATIAE
 DELICATVLÆ,
 ET LVBENTIAE,
 ET CVPIDINES
 MENTIS ILLICES
 EVGE! PLAVDITE!

VENUS. MONETA.
 LUSUS. EXTEMPORALIS.
 IN. NVPTIAS.
 NOBILISSIMI. ET. AMPLISSIMI. VIRI.
 JOHANNIS. CASPARI.
 PSENNINGS.
 D 2 ET.

ET.
NOBILISSIMÆ. ELEGANTISSIMÆ QVE.
VIRGINIS.

URSULÆ. ROHREBARTS.

*** **

VENERIS. MONETÆ. AVSPICIIS.
ET. IVNONE. MONETA. SECUNDA.
IVNGITVR. PAR. NOBILISSIMVM.

JOHANNES. CASPARVS.
PSENNING.

URSULA. ROHREBARTS.
NUMMO. VNO. FIRMATVR. NVPTIARVM.
CONTRACTVS.

NON. TAMEN. IMAGINARIVS.
SED. IN. SOLIDO. HOC. SOLIDVS.
IPSE. SPONSVS. ET. SIBI. ET. SPONSÆ. ARRHA.
EST. SPONSALITIA.
PRO. DOTE. ET. PECVLIO. FERENS. NUMVM.
HOC. PRETIO. VENIT. SPONSA.
OMNIVM. VIRTVTVM. DOTIBVS. PRETIO-
SISSIMA.

SED. NVNC. VNIUS. ASSIS. PRETIO. ÆSTIMATA.
EST. ERGO.

ILLE. SPONSÆ. EX. ASSE. SPONSVS. ILLA.
SPONSO. EX. ASSE. SPONSA.
NULLVS. HIC. EX. SEMISSE. AMOR. EST.

TU. VERO. SPONSE.
ET. IN. NUMMO. NOMEN. SOLVES. ET. IN. NO-
MINE. NUMVM.

NON.

NON. DIE. SED. NOCTE. OCVLATA.
 NE. CEDAS. VENERIS. FORO. ID. EST. LECTO.
 QVIS. VERO. TE. NUMMUM. SOLVENDO ESSE.
 DVBITET?

NULLA. HIC. ΣΕΙΣΑΧΘΕΙΑ.
 NEC. RELIQVATORES. HIC. FERIMVS. NEC.
 TRICONES.
 OMNES. HIC. CELEBRANTVR. CONTRACTVS.
 ET. VEL. EX. INNOMINATO. SOLVUNTVR.
 NOMINA.

DABIS. TV. VT. DET. ILLA.
 FACIES. TV. VT. FACIAT. ILLA.
 VENEVNT. HIC. VENERIS. MERCES.
 SED. PER. AUCTIONEM. ET. SVBHASTA-
 TIONEM.

IPSE. SPONSVS. SVBLATO. DIGITO. SECTOR.
 ERIT

AGRVM. CONDVXISTI. EMPHYTEVTA.
 NUMMUM. HIC. SOLVAS PRO. CANONE.
 SED. ANNO.

NEC. ABEST STIPVLATIO.
 ADEO. ET. CONSENSV. ET. VERBIS. ET. RE. GE-
 RITVR. NEGOTIVM.

OMNIA. INTERVENIENTE. NUMMO.

AT. O. SPONSA.

QVÆ VIRTVTEM. QVÆSIVISTI. NON.
 POST. NUMMOS. SED. IN. NUMMO
 ET. VEL. IN. VNO. HOC. NUMMO VIDES.

QVID. DISTENT. ÆRA. LVPINIS.
 IN. TE. NVNC. NON. CVDETVR FABA. SED.
 NUMVS.

OFFICINAM. MONETARIAM IN. THALAMO.
 EXERCENT. CVPIDINES. MONETARII

SIGNABVNTVR. HIC. PVLCHRA. ILLA.
 NUMISMATA.
 AD. IMAGINEM. VESTRAM. IMPRESSA. ET.
 EXPRESSA.
 NON. PLVMBEI. HIC. ERVNT. NVMI. AVT. Æ.
 REOLI. SED. AVREI. STATERES.
 NEC. CRVCES. SVAS. HIC. FIGENT. CRVCIGERI.
 QVIN. ET. PARACHARACTÆ. ABSINT.
 CÆTERVM. BONI. ESTOTE. NUMVLARII.
 NUMVM. NE. OTIOSVS. SIT. COMMOVENTES.
 VT. NUMVS. GENERET. NUMOS.
 ET. FOENORI. LOCATVS. ET. VENERI.
 NAM. ET. VSVRARVM. VSVRAS. HIC. CONCE-
 DIMVS.
 SIC. FOECVNDI. SINT. ISTI. LOCVLI.
 ET. THECA. ISTA. NUMARIA.
 VT. EX. OBVLIS. PARIAT. TALENTA.
 AVREI. AVTEM. SINT. OMNES. ET. ARGENTEI.
 ET. NUMI. NUMORUM. ET. QVI. NA-
 SCVNTVR. AB. ILLIS.

JOCUS

In Nuptias

Viri Consultissimi,

CASPARIS VOIGTII,

apud Vismarienses Senatoris meritissimi,

Amici optimi.

Et Feminae lectissimæ pudicissimæque

ELISABETÆ ZYNGEREN /

A *In? quid istud? VOIGTIVS occupat
 Nomen mariti, Transfuga Apollinis*

Miles

Miles Diones alitumque
Trossulus armipotens Amorum?
Librosne labris & calamum novo
Iam porro mutabit thalamo suum?
Tantamne pradam ELIZABETA
Et celebres agitat triumphos?
At! At! Sodales mille faceris
Nunc delibutum reddite VOIGTIUM
locosque ridentes in unum
Atque vafras glomerate nugas.
Sic est necessum. Nam canit in tuis
Choraula festis VOIGTI; animat tuas
Tibicen aures, dum sonoros
Vngue premit saliente Ventos
Doctus rotundos ponere limites
Pedi vaganti, sive reciprocis
Quis servat orbis; seu sonantem
Calce quatit trepidante terram.
Cur ergo nostris non pateat Logis
Auris vacua? heus heus puer amove
Paulum hunc culullum! Namque nobis
Nunc magis esse libet faceris.
Sed ante torvos ire foras iube
VOGTI Catones & tetricum genus,
Quod fors cavillatur serenos
Ingenii nivei lepores.
Sciant & hos, Te interprete, Virgines
Modo otiosa; Gens ea nil agit,
Ligurit & tantum pitissat
Atque famem regit abstinendo,
Quas turpis halex & petaso putris
Lauris honeste fors tenet à cibus,
Quas rapa fumosumque pavit
Synciput & lacerum minutal.

Et si

Etsi ergo mystes Iuris & ardua
 Sis lux Themista; Lege tamen novâ,
 Nec jure constant usitato,
 Qua tibi nunc sacra conferuntur,
 Natura Ius, Te jam docet abditum
 Eademque monstrat, qui tribuas suum,
 Scis cui? In hoc Te mox marita
 Discipulum feret, haud Magistrum
 Tu derelictas, utpote nullius
 Res occupasti, Incorporeas quoque,
 Cum ZINKIÆ ususfructus atque
 Mellifluis peritur labelli.
 Nemo obligatur firmitus, ac tua
 Tu LIZABETÆ, quos neque perfidia
 Vis & fides sortis dolosa,
 Nec timidi temerant susurri.
 Consensus omnem compleat hic locum.
 Turpe est jugatos fœdere sub pari;
 Ceu disidentem discrepare
 Cesareis Aquilam in figurâ.
 Nunc contrahantur basia, nunc sales;
 Nec fuscet atris sepiâ fraudibus
 Cretatum amorem; Protrahantur
 In mediam intemerata lucem.
 Et nox sat ampla est; nec phaleris Eos
 Surgens citatis Vestraque Cynthia
 Turbabit orsa hac, qualis olim
 Odrysios retegebat astu.
 Hic est tribunal Cypridos, hic sacrae
 Moventur urna grataque iurgia
 Litesque miscentur severa
 Atque graves simul atque suaves.
 Hic SPONSUS Actor; ZINCKIA sed Rea est.
 Intendit ille; Hac excipit; attamen

Suo libenter SPONSA jure

Excidet. Haud cupit esse Victrix.

Hac cuncta cæcis condere noctibus

Insiit Cupido: cæcus enim est Amor,

Themisque cæca est, Sic Athena

Innocuas tenuere leges.

Nec Advocatis heic opus est. Potest

Orare causâ quilibet in sua.

Procul profane hinc atque Vultus

Longe agita male feriatos!

Non flexuosi commata Codicis,

Nec rubra Legum puncta, nec abditâ

Iuris recessus obtinebunt;

Sola dat & Variat benigna

Venus statuta, Hic Naso Volantium

Vates Amorum & callidus artifex

Adessor adsit; non Corinna

Ceu aderat: Sed ut instruat Vos.

Sed quid necesse hoc? non alienâ eges

VOGTI arte: nam Vates quoq; tu bonus,

Et scis genus sanctum Poetas,

Ah nimis hoc! nimis hoc! Sed ô ß!

Quæ nunc ferentur sub Veneris sacro

Decreta ductu, non temerariâ

Frangenda sunt molitione;

Ad Cameram tamen ire fas est.

Porro Emphyteutam fac quoque te probum

Ne qui tua concreditus est fidei

Ager pigrescat. Dein memento &

Vt Canonem expedias quotannis.

D S In

In Nuptias

Reverendi, Doctissimique Viri

CHRISTOPHORI LANGII,

Ecclesiæ Elmeshagensis Pastoris vigilantissimi

Et Lectissimæ Virginis

**ANNÆ - CATHARINÆ
SPERLINGIÆ,**

* * * * *
I

O Qui mansuro firmatis pectora nodo,
 Queisque piis animos ignibus urit Amor,
 Cur vestro placuit Iovis horrifera annus amanti,
 Cur rigidus vobis festa November agit?
 An quoniam ingentes nox jam succrescit in horas,
 Longaque prolixo Nox in amore placet?
 An quia nunc miris rerum per centra catenis
 Stringitur, & medio frigore flamma latet?
 Non friget Venus heic, arcano incenditur æstu,
 Sacraque per venas flamma Venusque furit.
 Sic gelidis canum nivibus caput occulit Ætna,
 Et tamen alta pigra sub nive flamma latet.
 Friget dura silex: levis hinc scintilla resultat.
 Frigidus excusso fervet ab igne chalybs.
 Quo magis urit hyems, magis heic focus ardet amoris.
 Igneus in medio frigore sudat amor.
 Ipse faces accendit Amor & frigora flammis
 Mitigat, ipse faces has agitavit Hymen.
 Hinc leviter motis incendia provocat alis
 Instauratque oleis ista Cupido suis.

Has

59

Has ceu Vestales sacra condite pectora flammis,
Nec pius in cineres ignis amoris eat.
Frigore vos feriat nemo: friguscula desint:
Nam calidis votis deprecor illa meis.
Hæc vobis genialis hyems! hyberna placebunt
Ista, nec his æstas gratior ipsa foret.
Hæc bene cedit hyems, monstrareque Sirius olim
Hanc hyemem vobis nunc caluisse potest.
Frigeat & totus solidetur marmore pontus;
Frigeat omnis ager; frigeat omne nemus;
Frigeat hic orbis; pectus non friget Amicæ,
Zonaque in hoc semper torrida Amoris erit,
Hybernos frigere dies si credimus; esto.
Sed nullum Noctes frigus habere velim,

II.

Ergo abit illa dies: sed nox illustrior instat,
Nox omni potior splendidiorque die.
Nox pulchra ac albo vobis signanda lapillo,
Nocte bonâ bona nunc dicere verba paro.
Crescat amor, quantum nox crescit opaca per horas,
Noxque pari vobis surgat amorque gradu.
Quod nox longa tegit, quæ nunc Sacra vestra recondit,
Proferet in lucem longior inde dies.
Sic noctes obeatis, ut hinc numerosa propago
Surgat, nemoque vos credat obire diem.
Hinc nati natorum, & qui nascentur ab illis,
Longaque posteritas nomina longa trahent.
Nulla dies quondam sine lineâ abibat Apelli,
Nullaque nunc vobis Nox sine lineâ erat.
Longa Tibi Noctis carpentur gaudia, Sportise,
Longaque nunc longâ præmia nocte ferres.
Tu modo causando in longum ne differ amores,
Uttere nocte tuâ, dum licet hora ruit.

Quo

Quo tua te nunc Virgo trahit retrahitque sequaris,
 Cereus in partes & latus omne trahi.
 Humida jam plenis Tibi porriget oscula labris,
 Ora, genas, ulnas, pectora, plura dabit.
 Sta calame! his Plato nos jussit subsistere metis,
 Scribere nec cœlebs plura Poeta queo.

JOCUS

IN NUPTIAS

JOACHIMI HANSEN

Et Lectissima Virginis

ELISABETÆ Schwassen.

mediâ æstate celebratas.

* * * * *

Parod. in Od. 4. lib. 1. Horat.

Admonetur post exactam diem nuptialem
 Sponsus officii.

Advenit ima dies gratâ vice noctis atque Luna
 Trahitque pulchras Hesperus tenebras.
 Ac neque jam dapibus gaudet chorus & cibus amator,
 Nec mensa mappis albicat superbis.
 Iam LISABETA choros ducit tua, concinente cœtu,
 Iunctis que Nymphis Pamphili decentes.
 Alternò terram quatunt pede, dum graves Cyclopum
 Potator ardens fertur in culullos:
TE decet aut SPONSÆ nitidum latus impedire plexu,
 Aut ora, mella que ferunt Hyblea.
 Nunc & in umbrosos illam decet evocare lectos,
 Seu fixam optet; sese malit arma.

*Cypria lex a quo tenet ordine pauperum cubile,
 Regumque spondas: Sed beate SPONSE,
 Noctis summa brevissem te vetat inchoare longam,
 Iam te premet lux splendidumque mane.
 Nunc domus expectat te plumea, quò simul meârû,
 Tunc regna chara sortiêre SPONSÆ,
 Tu tenerum corpus rimabere, dum calet juvenus
 Tibi omnis, & mox Virgo mox calebit.*

IN NUPTIAS SECUNDAS

Viri Nobilissimi & Consultissimi

HENRICI RUDOLPHI

REDEKERI

J. U. D. & Prof. Cl.

Et Nobilissima Lectissimaq; Fœmina

LUCIÆ Kohlblattes.

* * * * *

Sic crambe bis cocta placet, cœnamque priorem
 O REDEKERE, tuam mensa secunda subit.
 Felices Epulæ & Samii pia fercla Magistri!
 An caro nunc mensis exulat atque toris?
 Non jam sola animas capiet caro corpore pulsas,
 Ipse tuum de Te nunc animabis olus.
 Tu prande hoc patienter olus, nec regibus uti,
 Nec cerebro cupies te fatiare Iovis.
 Tu cole Niliacos quæ numina culta per hortos;
 Namque eadem Tibi jam Numina lectus alit,
 Maxima continuis steterat Roma integra seclis
 Salyaque muneribus, brassica sacra, tuis

Hæc

Hâc fortuna tui thalami nutrice vigebit :

Sic jurata mihi brassica *maulus* erit! ^a

Antica post partum cœnasse puerpera cramben

Dicitur: ^b Et Tua tum prodiga cœnet olus.

Sic nova sæpe novis crescat tua gloria plantis,

Nec sit iners placidum corchorus inter olus.

^a. Vide *Athen. lib: X.* ^b. Vide *eundem ibidem.*

In Nuptias

JACOBI KRAUTHOFII,

Et Virginis Lectissimæ

ELISABETÆ GROSSIAE.

HUc veni Venus ô venusta Diva,
Parvorum Genitrix veni huc Amorum,

Seu nunc Idaliis recumbis antris;

Aut Cypri solio sedes superbo;

Aut Eryx trucibus refertus apris,

Te tenet celeres prementem Amores;

Huc veni Venus ô venusta diva,

Thracico resoluta ceu Marito

Martis dulcibus incubas lacertis;

Gratiæque decora membra nudæ,

Et quando estis honora membra nudæ:

Et vos cæruleæ comam puellæ,

Vestibus viridem cutem resectæ,

Et quales avidi videre Fauni,

Fallaci tamen impetu fuerunt,

Sistite ac hilares movere versus.

Nostra *Grossia* nata Gratiarum,

Nostra *Grossia* corculum pudoris

Ista Palladis officina doctæ

Ista

Ista *Grosia* parva, pūmililla,
 Hæc mellitula, candida atque bella
 Mollis, vinula, mitis & tenella,
 Casta, pulchra, modesta, blandicella
 Omnium penus Elegantiarum
 Morum Regula, conditrix leporum
 Formæ gemmula, proma Suavitatum.
 Virtutum Rosa, Dux amœnitatum,
 Decens pupula, flosculus novellus
 Novis *Krauthofii* toris dicatur,
 Tædis *Krauthofii* piis sacratur;
 Ergo *Krauthofius* suis Novellis,
 Pandectis, Canonique, Codici que
 Et juri veniam dabit severo:
 Nam novæ Cypridos trahentur urnæ.
 Et leges ea condidit novellas,
 Pandectasque dedit novos leporum,
 Pandectasque novos amœnitatum,
 Pandectas Charitum, librumq; morū
 Virtutum Canonem atq; suavitatum,
 Codicemque dabit novum legendum:
 Heic lites agitantur impeditæ:
 Iucundæ simul & simul secundæ,
 Fœcundæ simul & simul secundæ,
 Tertiæque simul simulque quartæ,
 Seriæ simul & simul jocosæ,
 Iocosæ simul & simul dolosæ,
 Mansuetæ simul & simul suetæ,
 Imbelles simul & simul rebelles,
 Actori Rea supplicat cruento,
 Et vinci mage vult, licet repugnet.
 Estque evictio controversiarum,
 Ut tibi tua Sponsa largiatur
 Et ferat tibi miribus labellis,

Istis

Istis suavērubentibus labellis,
 Istis suaveolentibus labellis,
 Atque istis hyacinthinis labellis.
 Multa millia basiationum,
 Et plexu foveat calentiori
 Et plexu foveat tenaciori,
 Et plexu agglomeret frequentiori,
 Tu carpas tibi flosculum novellum
 Hortoque insere pertinaciori.
 Hic fragrantior est thymoq; & ambrâ,
 Et Nardi nitidissimis aristis,
 Et thymbra, violisque, salviaque
 Serpillo, sakiuncâ, amaracoque,
 Fragis gratior est humi repostis,
 Hæc est candidior novis rosetis,
 Narcisso rutilantior comante.
 Hic cessent aconita virulenta,
 Novercalis erit procul cicuta,
 Et lappæ sterilisque avena desint,
 Urticæ, loliumque, carduusque.
 Hic duri se Aquilonis ira ponit
 Non Eurus neque turbulentus Auster.
 Horti contemerant sacros honores:
 Sed pennæ Zephyri ferocientes
 Lascivis subigent solum susurris.
 Tunc omnis tibi germinabit hortus,
 Et novos animabit usque flores.
 Ite ergo atque avidos rigate sulcos,
 Ut flores capiat hinc novos:
 Tua ut GROSSIA parva pumilillos
 Det KBAUTHOFIOLOS; reclude rivos.

 ANA.

ANACREON
 In Nuptias
 JOHANNIS LVBBERTI,
 Med. Doctoris,
 Et
 ANNÆ Schwanten.

* * * * *

O Triga Gratiarum,
 Et quicquid est Deorum,
 Et quicquid est Deorum,
 Et quicquid est Jocorum,
 Et elegantiarum,
 Heus advenite! vestros
 Exposcimus favores.
 Heus cursitate! vestros
 Exquirimus lepores.
 Heus advolate! vestros
 Impellimus furores,
 Dictate nunc decenter
 Logos sereniores,
 Nugas amœniores,
 Gerras venustiores,
 Ritus solutiores,
 Sales dicaciores,
 Ineptias disertas,
 Et lusibus refertas,
 Amœnulas Camœnas,
 Camœnulas amœnas,
 Et melleum melisma,
 Versutulosque versus
 Nasutulosque versus

E

Loqua

Loquaculosquē versus,
Rotundulosque nobis
Create Anacreontes.

Cui vota nunc sacrantur
Et sacra concitantur?

Nunc namque cursitatur
Et undique ambulatur.

Et hic, & hic, & isthic,
Et hac, & hac, & isthac,

Et huc, & huc, & isthuc,
Cui vota nunc parantur?

Nam vota nunc parantur
Et hinc, & hinc, & inde,

Ab hoc, ab hoc, ab illo,
Ab hâc, ab hâc, ab illâ.

Cui vota nunc parantur?
Namque intrat undiquaque

Reciprocante gressu,
Catulla, Pasicompsa,

Fabulla, Pardalisca,
Dorippa, Milphidippa,

Bryseis, Ampelisca,
Sôphrona, Pasibula,

Et Pamphilus superbus
Et pætulus Baryllus

Pictusque Chrysaliscus,
MEDICORUM ocellus ille est,

Cui vota nunc sacrantur,
Cui sacra concitantur.

Is nuptias parabit
Sponsamque copulabit

Sibi potente nexu
Et pertinace plexu.

Is nunc torum parabit

Hodieque

67
Hodieque iusitabit,
Hodieque suaviabit,
Hodieque basiabit,
Hodieque saltitabit,
Restimque ductitabit.

MEDICORUM ocellus ille

Et æger ipse totus
Medicas manus requirit;
Nam vulneratus ille est
Vulnuscule repente,
Vulnuscule fluente;
Vulnuscule recente.
Huic optime medetur,
Insigniter medetur,
Et nectar è labellis,
Et fulgor ex ocellis,
Et candor è papillis,
Et splendor è capillis,
Sponsæ venustioris,
Mellitulæ puellæ,
Limatulæ puellæ,
Politulæ puellæ,
Lepidissimæ puellæ,
Lectissimæ puellæ.
Hæc nempe sola Sponsa est
Medicina tot laborum,
Medicina tot dolorum,
Medicina tot malorum,
Te dira Febris urit?
Extinguit illa flammæ.
Hanc dira febris urit?
Extinguis ipse flammæ,
Nec scribis hæc medelas

Et integros manipulos
 Rerumque tot catervas.
 Uno potes mederi
 Ictu procaciori,
 Tactu salaciori.
 Et crusculo tenello,
 Latusculoque bello,
 Pedusculis, mamillis,
 Latertulis, ocellis.

Nos fausta nunc paramus
 Et vota consecramus
 Vestris benigna tædis.
 Tibi, SPONSE, gratulamur:
 Amor unus est tuarum
 Medicina vera rerum.
 Tibi, SPONSA, gratulamur;
 Amor unus est tuarum
 Medicina vera rerum.

VENVS. MILITANS.

In Nuptias

Viri Nobilissimi, & Strenui

PETRI EBERHARDI,

BRVGGEMANNI,

S. R. Majest. Dan. & Norveg.

Vice-Capitanei.

Et Nobilissimæ Lectissimæque Virginis

MARIÆ-ELISABETÆ

von der Lieth.

VENE.

VENERI. MILITANTI.

S.

CVI. SACRAMENTO. MILITARI. SE. AD-
DIXERVNT.

COMMILITONES. GEMINI.

PETRUS. EBERHARDUS.

BRVGGEMAN.

MARIA. ELISABETA.

VON DER LIETH.

HERCVLES. INVICTVS. AMAZON INVICTA.

PRO. ARA FOCOQVE VENERIS.

PVRO. PIOQVE. DVELIO. DIMICATVRI,
PROPRIO. MARTE. PROPRIA. PROPITIAQVE,
VENERE.

IN, THALAMO.

CAMPO. VENERIS, MARTIO.

TELA. HIC. NON. VULCANI, CYCLOPES.

SED. VENERIS CUPIDINES. FABRICANT,
IPSI. NUDI. ET. LEVIS. ARMATVRÆ. MILITES.
HIC. ADSVNT.

VEL. CASTRAMETATORES. VEL. PRIMIPILI.
CÆCIS. EORVM AVSPICIIS. PVGNANT. NO-
STRI. ANDABATÆ.

CIRCŪSPECTIVS. ENIM. HIC. MARTE. COECO
QVAM. OCVLATO. RES. GERITVR.
BELLA. HIC. MOVENTVR.

NEC. MATRIBVS. DETESTATA NEC. PVELLIS
DVLCIA INEXPERTIS. EXPERTIS. DVLCISSIMA
SED. SINE. INDICTIONE ET. FECIALI.

SINE. VLLO. BARRITV.

E 3

PAR-

APACE. CLAMOREM. IN. VENERIS. PRÆLIIS.
PUGNABVNT. DVO.

ET. MARTIS. ET. VENERIS. PVLLI.
ARMIS. IMPARIBVS.

NEC. EQVITES. NEC. PEDITES.
NEC. SAGATI. NEC. CATAPHRACTI.
SED. NVDI.

EO. MAGIS. STRENI. ATHLETÆ. QVO. MA-
GIS. NVDI.

MORE. GYMNASICO.

SINE. CÆDE. QVIDE. SED. NON. SINE. SANGVINE.
OPIMIORA. HIC. A. NVDIS. REPORTABVNTVR.
SPOLIA.

INSIDIIS. PLERQVE. GERVNTVR.
SINE. SVBSIDIIS. ET. SVPPETIIS.

OSCVLANA. HIC. PRIMVM. IN.
OSCVLIS. PUGNA.

BELLVM. ERIT. ARCHIDAMICVM.

QVOD. IDEO. GERITVR. UT. NOVVM.
GERATVR.

SVCCESIONE. INFINITA.

NIHIL. HIC. PACE. EST. INIVSTIVS.

INDVCIÆ. TAMEN. ERVNT.

SED. DIERVM. NON. NOCTIVM.

QVALES. OLIM. ANNIBALI.

PUGNAT. ILLE. PROPTER. TRIVMPHOS.

ILLA. PROPTER. CLADEM.

PUGNAT. ILLA. ITA. VT. VINCI. NON.
REPVGNET.

NON. ALIAM. EXOPTANS VICTORIAM.

QVAM. QVA. SVCCVMBAT.

NVNQVAM. FELICIOR. SIBI. VISA. QVAM.
INFELICI. PRÆLIO.

NEC. SVBIVGARI. RENVET. QVÆ. CONIVX.

ESSE.

ESSE. VOLVIT.
LIBERRIMUM. MARITI. MANCIPIUM.
SED. NVNQVAM. MANVMITTENDVM.
TV. VERO. SPONSE.
FORTISSIME. VT. MARTIS. ITA. VENERIS.
ATHLETA.
FORTITER. HIC. REM. GERE.
NE REFERARIS. INTER.
QVONDAM. STRENVOS. MILESIO.
VIRVM. TE HIC. PRÆBE. IMO. MARITVM.
QVI SI. LITERAS. VERTAS. EST. MARTIVS.
VT. VEL. E. NOMINE. TVO. MVNVS.
TVVM. DISCAS
VTI. NVNQVAM. BELLI. TEMPORE.
ITA. NEC. HIC. MENTAM. VEL. SERE. VEL. EDE.
QVÆ. ENIM. MARTI.
EA. ET. VENERI. INIMICA. EST.
NON. TOLERAMVS. HIC. CVNCTATORES.
FABIOS.
NEC. DESERTORES. NEC. TRANSFVGAS.
ARCEM. INVADE. TVÆ. VIRGINIÆ.
NEC. ABSQVE. DOLABRA. VEL. ARIETE.
SED. ET. CVNICVLIS. ALIQVID. LICET.
NEC. IN. PROPUGNACVLIS. HÆREAS. CVM.
ARCEM. IPSAM. CONSCENDERE. LICEAT.
IN. QVA. NVNQVAM. TROPÆVM. STATVENT.
TIMIDI.
PVGNATE. FORTITER.
SIC. ARMA. VIRVMQVE. CANENT.
SIC. CORONA. CIVICA. VOS. CINGENT.
OMNES. CVPIDINES.
QVI. PVGNÆ. HIC. SEMPER. NVNQVAM.
RECPTVI. CANENT.
NEC. FINIENTVR. ISTA. PRÆLIA.

NISI. CVM. EMERITOS. MILITIA.
 ISTA. MITTENT. FATA.
 VIVITE. PVGNATE. VINCITE. SVCCVMBITE.
 FELICITER. FORTITER.
 JO. PÆAN! JO. TRIVMPHE!

* * * * *
 * * * * *
BRUGMANNUS placida mitescit Coniuge Miles
 Inque nobis VENERI militat, ecce! toris.
 Iam pugna praludit Amor, jam tela ministrat,
 Et plus posse negat Martia tela suis.
 Ipsa VENUS BELLONA iuvat; sed nuda procaxque.
 Nec galeâ caput, aut agide recta latus.
 Et cur non Veneri heic sua praelia? namque uti semper
 Militat omnis amans; sic quoque miles Amans.
 Iamque iterum placido certat Briseis Achilli:
 Iunguntur licito Marsque Venusque toro.
 Mollia in hoc Sponsus figit sibi castra: sub illo
 Bella Puella illi bella duella movet.
 Sunt etiam heic Marti Comites iraque minaque;
 Sed quas iratus pomere suevit Amor.
 Colligit illa suas in bella imbellia vires:
 Non ea pugnanti terga sed ora dabit.
 Eminum, ex ipsis protrudit spicula ocellis,
 Quorum acies aciem ducere prima potest.
 Cominus hinc pugnat, teneris confisa lacertis;
 Hæret in adversis unguis acusque genis.
 Ille leves ictus facilis declinat, et ista
 Lucta placet vigili continuata toro.
 Plurima iam Cypriso confligunt basia campo:
 Basia militia premia prima nova;
 Basia Virginei minium pressura labelli;
 Basia, que pugnans mutua figit amor.
 Marte Venus primum pugnare videbitur equo:
 Succumbet Marti mox tamen illa suo.

Et

Et jam tela sonant, instant extrema, caditque
 Saucia lethali vulnere Virginitas.
 Hannibal ad portas! arx heu! invaditur ipsa,
 Totaque Victori nunc pater illa suo.
 Iamque iterum ingeminant pugna intestinaque bella,
 Quaeque novo pasci Marte subinde volunt:
 Insultu à primo bella altera tertia surgent.
 Perque vices Virgo Virque rebellis erit.
 Pugna peracta placet, deciesque peracta placebit:
 Dissplicet heic solo pax inimica toro.
 Sic tibi, SPONSE, tuas consumant praelia noctes,
 Ut pateant pugnae viva tropaea tua.
 Sic bene res geritur, si nox distincta diesque,
 Pugnet ut hec Regi, pugnet ut illa toro;
 Si tu pro Patria pugnas vincasque Maritus,
 Et si pro Patria saepe Marita cadat.

In Nuptias Amici Philosophi.

Quid repis inter vasta volumina
 Amice, & omnes impiger irruis
 Rerum tenebras & latente
 Materiem trahis è profundo?
 Relinque spinas, rejice cortices
 Orbisque magni per penetralia
 Cessa vagari: nunc pusillus
 Te doccat meliora mundus.
 SPONSÆ in labellis oreque vinulo
 Et purpurata frontis in atrio
 Natura multa est: hic benigni
 Portio stat speciosa caeli.
 Iam morsicantes fas sit ocellulos
 Stellas comantes dicere & albida
 Vultum Diana, cui opaca
 Plurimus intras is era frater.

Sore-

*Sororiantes anne mamillulas
 Phœbi bicollem dicere Verticem
 Ausim atque montes ; seu rotundas
 Tu potius Vocitabis ubas,
 Dicamne ramos brachia juncea
 Crinesque sylvam? sed latet abditio
 Occulta vis, & causa venis,
 Causa tibi retegenda soli.
 Capesse mundum hunc, perlege, perspice
 Pater recessus, panditur ostium,
 Rismare ad unguem : namque nunquam
 Lecta alis tibi nunc legentur.*

EPISTOLA GAMICA

Ad

*Virum Admodum Reverendum, & Amplis-
 simum*

**CHRISTIANUM KORT-
 HOLT,**

**SS. Th. D. & Prof. Celeberr. Colleg.
 honoratissimum.**

Cum Matrimonio sibi jungeret.

Virginem Lectissimam Elegantissimamque

ANNAM KRUGHSEN.


Nescio quo fato fiat, Amice optime, quod in tuum
 potissimum nomen segniores mihi sint numeri,
 quos aliàs non difficiles experior. Ita me semper in
 diversa trahit sacer ille furor, cum de Te aliquid medi-
 cor,

tor, & plane abit à viâ illâ λεωφόρω: Ut mihi nunc
 fere incipiat sedere ista Aristotelis sententia, quæ car-
 minis vim etiam extra numeros ponit. Excusseram
 jam ferè omnem apparatus poëticum. plectra, laurus,
 & cœtera Musici furoris iustrumenta: jam illa Mercurii
 καλὰ πῆδιλα mihi exoptabam, aut alas alicujus Pe-
 gasi: jam Apollinem quærebam in montibus nostris,
 in quibus nullus alius, quam Homericus ille Utis, etsi
 per lancem, & licium quærerem. Accedebat prætereâ
 luëtuosus aliquis è Patriâ nuncius, qui circulos illos me-
 os Poëticos turbabat planè, ut liturâ unâ inducerem,
 quicquid versiculorum invitâ Minervâ natum mihi erat.
 Quod enim Aristoteles πεπιρωμένον μήεν τρεΐθειν
 liberè in Republica permittit, imo suadet, id in Poëti-
 ca nostrâ Republicâ, pro lege sancitum est. Centum bo-
 nos versus crudeli stylo compungimus, ne unus admit-
 tatur malus, duri plane & minimè pii erga fœtus no-
 stros parentes. Scribendum tamen aliquid erat &

- - - κέλευται δέ με θυμός

dum Tu, Amice optime. Kirhofiam illam tuam, illud
 χαρίτων ἱερὸν φυτόν tibi inseris. Sedebam jam
 adhuc per varia ductus Amoris argumenta, & dum
 mens ita cum se ipsa colluctatur, somnus superveniens
 fecit inducias. Mira hic docebar secreta somnians,
 quæ vigilantibus vix patent; quamvis quædam etiam sine
 Poëtis vigilantibus somnia, ut doctissimus in Variis
 suis annotavit Victorius, & fortè largientur nobis non
 inviti τῶν ἰατρῶν παῖδες. Videre mihi videbar Se-
 nem forma venerabilem: Genius aliquis videri pote-
 rat: Stantem in illo vultum & faciem rectam notabam,
 frontem decorè rugosam. Præ cæteris verò barba
 ostend-

ostentabat plusquam Philosophicam gravitatem, cujus
 cæsariem leniter mulcebat dextera. Is manum meam
 prensans; Heus Tu, inquit, sequere & ducam Te in
 admirabilem illam Amoris abyssum nemini, haecenus
 inspectam. Sequor ego per obscuros aliquos anfra-
 ctus pavens, & fidei dextræ ducentis pedes meos per-
 mittens perductus demum sum ad immensum aliquem,
 ut ita dicam, tenebrarum Oceanum undiquaque diffu-
 sum & circumfusum, in cujus meditullio punctum ali-
 quod *ἑστὸν* subtilissimâ & æternâ luce radiabat. U-
 bi rei illi intentus extra me raptor, punctum illud luci-
 dum in modum oris humani dilatatur, unde lineæ binæ
 angulares prodeunt, continuo & instanti effluvio, quas
 media connectit. Ab extremis binarum illarum linea-
 rum recto motu ad summum orbem ferebantur radii,
 qui deinde reflexi in centro facto angulo concurrebant,
 atque ita sursum deorsumque inter se reciprocabantur,
 motu & modo ineffabili. Atque harum linearum ter-
 minos orbe quodam cingere videbatur immensæ vasti-
 tatis draco, caudam ore suo admordens, dumque illam
 sequeretur, continuo se actu & strepitu circumrotans, cu-
 ius horribilis aspectus me non somno, nec mihi ipsi re-
 liquerat. Profilio itaque, & quia animo excutere non
 poteram ejus rei memoriam, circino imitari tento, quæ
 videram, & patuit tum secretum. Succurrebat tum,
 quicquid Platonici mei, & antiquissimi illi Philosophi
 me docuerant de primis tenebris, & quâ ratione has A-
 mor distinxerat, quid de Venere cœlesti, quàm â pro-
 fanâ sejungit Plato. Quæ si hic omnia recoquerem,
 non paginarum aliquot, sed integri voluminis res age-
 retur, & fortassis aliquando nobis agetur. Quid te-
 nebræ illæ, nisi illud Hebræorum *אין* infinitatis illa
 abyssus? è cujus ut ita dicam centro pronunciatur æter-
 num illud AMO, quæ tres literæ unâ illâ figurâ mirè in-



ter se perplicatae cernuntur, quarum prima A ipsa tri-
 plici ductu constans è centro egreditur, in omnibus ferè
 linguis orationis quasi quaedam porta, & tam in sacris,
 quam apud Cabalistas ipsius DEI nota. Altera litera
 M. quatuor ductibus constans & priori major apud He-
 braeos labii litera dicitur; labia enim claudit, atque ita
 vinculum aliquod est quod hiatus inter A. & O. conjun-
 git, medium est inter primum & postremum. Nam &
 A. in prioris literae extremis *d* & *e* & cum illa in centro *a*
 connectitur. A. medium literam in tribus extremis *a*, *d*,
e, & simul O extremam in duobus locis *d*, & *e*. M. iti-
 dem primam in tribus, & ultimam O in quatuor partibus,
d, *e*, *f*, *g*, contingit, quas si aliquis quatuor plagas æ-
 què inter se distinctas dicat, non abluet à priscorum
 Philosophorum Aegyptiorum sententia, qui de hoc
 quadripartito in mundum influxu, quem circulo de-
 cassato

cuffato vel caractere suo Tautico notarunt, mira prodidere. Orbis autem ille extemus O omnium complementum est & omnia in se continet; Draconis autem forma apparet, quoniam fecunditatis & æternitatis nota in Philosophia vetustissima Hieroglyphica habetur. Monas est in Centro *a*, ternarius in A, per quem mundum Archetypum intelligebant Aegyptii; quaternarius in M, per quem mundum elementarem. Quaternarius summum Pythagoræ mysterium, quod in 1, 2, 2, 4, simul sumptis contineantur 10. omnium numerorum & rerum complementum, Ternarius in A & Quaternarius in M. Septenarium faciunt toti Naturæ sacrum. Minimum est Centrum, maximum est Circulus, utrumque divinæ naturæ signandæ aptum habuere veteres Philosophi. Itaque hic inter Centrum & Orbem non est differentia, quod Boetius in Arithmeticis & Cusanus Cardinalis in erudito de docta ignorantia libro multis demonstrant: Maximum absolutum cum Minimo absoluto unum est idemque; Utrumq; enim omnem mentis conceptum, qui secundum excessus & opposita tantum aliquid apprehendit, infinite superat. Notissima est ista Hermetis termaximi definitio, quod DEUS sit Circulus, cujus centrum ubiq; circumferentia nusquam. Maximus ergo DEUS simplex & indivisibile, quia centrum est infinitum; extra omnia est, quia omnia ambit, & est circumferentia infinita; omnia penetrat, quia est diameter infinita.

Atque hæc est immensa illa Amoris Sphæra, quam mente conspectam rudi hac delineatione exprimere conati sumus, cui merito solenne illud Euclideanum subjungimus:

ΟΠΕΡ ΕΔΕΙ ΔΕΙΞΑΙ

& quidem in Amici Amoribus. Sequimur, quò nos trahit retrahitque illa æterni Amoris Sphæra. DEI opus est.

est, quod amas, mi Kortholci, & omnis Amor, qui honestus est, divinus est. Absque Deo si sit, præter fata sunt nostra vota, & præter vota nostra fata. Mihi vero nunc

ἀέξειαι ἐνδοθι θυμός

quod Te tam pulchrè nunc sociatum videam. Perpetuæ sint illæ flammæ. Πῦρ ὑπὲρ πῦρ! nec ulla dies extinguat! Facilis illa, moribus blandis, & ipsa Charitum soboles, nec inter argutulas illas, quas si tetigeris, idem sit, ac si
Fumantem tibi nasum tenta veris Urse;
 nec laborandum Tibi erit valde.

- - - ut aspera Iuno

Consilia in melius referat.

Illà à tuo nutu pendet teque velut ἐφορκίς quædam navem majorem sequetur. Quare nunc pone severiorem istam & sacram frontem, & fac, ut Tua fruatur Te Viro quidem Theologo, sed tamen ἐκ ἀναφροδίτῳ. Suspende nunc graviores illas curas, quæ animum macerant, corpus attenuant, ne Μισῶν σκέλετον ἰηκοιμητήριον illud inferas. Hæc in utramvis aurem dormire licet: Cætera silentii velo involvo, & plus cum Timante intelligi volo, ac dici. Quod superest, quicquid felicitatum est Tibi voveo; quicquid officiorum est, Tibi offero. En dextram & cum eâ fidem! Scævola sim & ardeat hæc manus, si non amore tui ardeat hic animus! Vale.

☉(O)☉

*Quonia pagella restat spatium, Admodum Reverendi
& Clarissimi Viri DN. FRIDERICI RAPPOLTI,
Professoris in Acad. Lips. celeberrimi elegantissima Epi-
grammata, in quadam nostra illi transmissa Poematia
addere placuit, ne tanti Viri affectum, quo levicula
ingenti nostri specimina complectitur, neglexisse videa-
mur.*

In Missionem ipsam.

Primitias, strenas, selecta Epigrammata mittis,
MORHOEI, Nostræ quid tibi mitto rei?
Possem aliquid: nisi, ne nihil hoc sit, Amice, vererer.
Sit nihil. In Strenis das nihil ipse tibi.

In Miscellanea.

Singula quæ condis, cur Miscellanea ponis?
Lauta an congestis secla imitare cibis? *Seneca*
Visa meo certè est olla hæc miscella palato; *Epist.*
Cœnari solis digna sed olla diis. *95.*

In Epigrammata selecta.


Quæ selecta tibi, mihi sunt Epigrammata lecta,
Et jucunda bonis, & piperata malis.
Nempe Epigrammaticos ætas non una lepores,
Nec vendit mordax Bilbilis una piper.

In Primitias Parnassi.

PRINCIPIS auspiciis Parnassus in æthera surgit:
Carminè MORHOEI personat ille gravi.
Pace tua liceat mihi dicere, Maxime PRINCEPS:
Parnassi Vates alter Apollo tui est.

In Ciconiam.

MORHOFIO tristi sic dicta Ciconia lessu:
Ut passer Vati, Lesbia pulchra, tuo.
Auguror, hoc maior mansura est gloria nostrum,
Passere quo melior est avis illa levi.



15. 08. 70.

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

SÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK



2 0584361

